This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Gt 55
495.5

3/10 #
Nr. 6007.
7/2 Gr 55.495.5



SIGILLUM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV·ANG·
CHRISTO ET ECCLESIAE

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM

Fr. Haasii

phil. Dr., Prof. Vratislav.

Lucubrationes Thucydidiae.

Berolini, 1841.

Sumptibus T. Trautweinii.

Gt, 55-495.5

HARVARD COLLEGE
Aug 30, 1921
LIBRARY

F. H. Fobes

Typis Brüschckianis.

Praefatio.

Postquam mihi contigit, ut in hanc illustrissimam litterarum sedem traducerer, quae Vratislaviam ornat, dicere non possum quantopere me delectaverit et insignis Academiae splendor et collegarum eximia humanitas et exoptatissimi muneris gravitas et optimorum juvenum rectissima studia. Quae omnia quamquam magna mihi, uti par est, ac praeclara visa sunt, accessit tamen quasi in cumulum privata quaedam mea felicitas, quam ego quo diutius amissam desideravi, eo magis oblatam mihi gratulor. Quum enim proximo superiore quinquennio inter alia acerba multa hoc quoque vel imprimis durum mihi accidisset, ut necessitate quadam adductus et multa scriberem neque tamen quicquam fere esset, quod non invito reluctantique animo vel susciperem scribendum, vel scriptum ederem, quamquam neque annos illos neque pristinam alacritatem neque reliqua omnia recuperare potui, quae vel fortunae adversitate amissa vel hominum injuria erepta mihi sunt, nunc tamen tandem aliquando redit paulatim animus et recreatur repetita eorum studiorum meditatione, quae magno meo cum dolore diu intermittenda fuerunt. Neque tamen licet jam nunc

perficere ea, in quibus operam meam versari jam dudum publice professus sum. Quae enim de militaribus scriptoribus edendis artisque militaris historia itemque quae de quaerenda accurata quadam ac perfecta latinae Grammaticae forma agitaveram, ea tot tantisque difficultatibus plena sunt, ut haud exigua iis humanae vitae pars impendi debeat. Quamobrem nunc leviora nonnulla et ab illis disjuncta proferam, quorum edendorum neque captavi opportunitatem neque moleste fero necessitatem. Nam totum hoc scribendi genus, quod in emendandis explicandisque variis antiquorum scriptorum locis versatur, quamquam minus nunc celebrari video ac paene etiam in contemptum adduci non solum apud eos, qui a nostris studiis alieni sunt, sed etiam apud ipsos philologos, spero tamen fore aliquos quamvis paucos, qui hac laudabilis industriae varietate delectentur. Etenim magnum sane est ac praeclarum, si totum aliquod praestantissimi scriptoris opus aequabili studio complectare insignemque artem et in universo opere et in partibus conspicuam longiore quadam diligentia intueare; neque ideo tamen minus huic quoque diligentiae sua constare laus debet, quae omissa aliquantisper contentione illa perpetua, singulares locos eligit atque in iis si quid forte vel interpretandi errore vel librariorum culpa peccatum est, auctoris veram mentem aperit, scripturae vitium tollit. Cujus quidem rei quanta sit saepe utilitas, dicere non attinet; jucunditas vero ac delectatio tanta esse solet, ut mirari satis non possim eorum lentitudinem, qui hujusmodi industriam aversentur. Nam si discedas ab illa summa delectatione, quae universi operis est, quid

potest jucundius, quid laetius in his studiis nostris offerri, quam si occultas antea et depravatas veteris scriptoris sententias quodammodo detegas primus feliciter, et quasi quidam callidus luctator multas variasque fraudes eludas, quas tibi vel priorum interpretum errores vel vulgatae librorum mendae paraverint? ad quam concertationem non minus varia ac multiplicia artis arma afferri debent; nam modo accurata historiarum antiquitatumque cognitione utendum est; modo adhibendae sunt communes linguae leges; modo ipsius auctoris explorandum ingenium, loquendique consuetudo etiam in parvis rebus observanda; modo orationis cohaerentia subtiliter indaganda ipsaque sententia aliorum locorum similitudine comprobanda; modo scripturae etiam vitia eorumque origines probabiliter demonstrandae sunt. Quibus omnibus si quis et dextere et feliciter utatur, ita quidem, ut quae antea latebat veritas, in lucem subito prodeat, fieri non potest quin vehementer delectetur et is, qui eam invenerit, et is, qui ab alio inventam agnoscat. Sed in eodem negotio magnum etiam periculum est, ne fastidium potius quam delectatio legentibus oriatur, si quis vel licenter abutatur ingenii acumine, inventionis calliditatem praeferens veritati, vel molesta pertinacia divinationi vim adhibeat, dum id quod verum est multis machinis quaerit magis quam invenit, vitiumque mutat saepius quam tollit. Ac praecepta quidem in eam rem quamquam proponi sane multa ac praeclara possunt, fit tamen saepissime, ut quum tibi videare ea omnia observasse religiosissime, emendationem proferas doctam illam quidem fortasse et quae multis speciosisque ar-

gementis exornari possit, neque tamen talem, quae cuiquam probabilis videatur. Nimirum est ea re vera divinatio quaedam naturae beneficio debita; quae quoniam magis obscuri cujusdam occultique sensus vi quam certa perspicuaque ratione regi creditur, (quamquam sensus ille potest ita eruditus ac certus esse, ut sit rationis instar) multis saepe tota haec res non ingenii virtute sed felici casu videtur contineri, et criminis loco est, quod argumenta non ducant ad rem inveniendam, sed ad comprobandam inventam conquirantur et vel ab rationis perspicuitate vel a doctrinae copiis mutuentur, quasi quaedam auxilia gerendae rei, non capita. Quamobrem mirum non est, quod ii omnes huic arti infensi sunt, qui eam naturae vitio exercere non possunt, quamvis et sanum judicium adhibeant et doctrinam locupletissimam; lubricum negotium increpant ingeniique inanem lusum, cujus inventis numquam fides haberi possit, nisi luculenta accedant scriptorum librorum testimonia; contemnunt scilicet, quae ipsi se assequi posse desperant, et quoniam sensus illius quanta vis sit quantaque certitudo non intelligunt, vel certissimas conjecturas dubitando et cavillando elevant, indignam rem et temerariam rati, si quis vel transversum unguem a scriptorum librorum auctoritate discedat; denique in locis difficilibus interprete potius opus esse clamant quam emendatore. Quibus ante omnia hoc respondendum esse puto, audaciam quidem ac temeritatem non minorem interpretandi esse quam emendandi. Quid enim? si detur nobis optio, ut aut levi aliqua litterarum mutatione adhibita oriatur sententia apta, facilis, auctore suo digna,

aut littera nulla mutata orationem habeamus mancam, ambiguam, subabsurdam, ab auctoris ingenio vel consuetudine alienam, aut etiam contortam et vix ita excusabilem, ut, quae singula rarissima sunt, ea plura in eodem loco simul usurpata dicas: ea certe quotiens optio dabitur, nullo modo dubitandum existimo, quin talem emendationem tali explicationi praeferamus. Veluti apud Thucyd. lib. III. c. 10. in verbis illis: ἑωρῶμεν αὐτοὺς τὴν μὲν τοῦ Μήδου ἔχθραν ἀνιέντας, τὴν δὲ τῶν ξυμμάχων δούλωσιν ἐπαγομένους· quis ferendas putabit vel Goelleri vel Popponis vel aliorum de verbo ἐπάγεσθαι opiniones abhorrentes illas vehementer et a Thucydidis et ab optimi cujusque scriptoris usu; quum scribere licet levissima mutatione eaque haud infrequenti (vid. Schwebel. ad Onosand. pag. 43.) ἐπειγομένους, quod verbum et aptissime opponitur praecedenti illi ἀνιέντας, et saepius similiter a Thucydide usurpatur, veluti lib. III, cap. 2 extr. lib. IV, cap. 5. lib. VI, cap. 100. lib. VIII, cap. 9. quam conjecturam quum fecissem, non tam dolui eam jam occupatam esse ab J. Bekkero, quam gaudeo comprobatam, id quod mihi iterum contigit lib. V, cap. 15. ubi pro vulgato ὁμοίως, quod nulla probabili ratione explicari potest, manifestum est scribendum esse ὁμοίοις. Quis porro tolerabilem judicabit vulgarem interpretationem verborum lib. VII, cap. 27. τῆς ἴσης φρουρᾶς καταθεούσης, vel quis sperabit ullam idoneam afferri posse explicationem in illis lib. V, cap. 111. ἣν μιᾶς πέρι καὶ ἐς μίαν βουλὴν-ἔσται, aut in illis lib. VIII, cap. 76. καὶ δι' ἑαυτούς τε ἐν τῇ Σάμῳ προκαθημένους καὶ πρότερον αὐτοὺς κρατεῖν τοῦ ἐς τὸν Πειραιᾶ ἔσπλου,

καὶ νῦν ἐς τοιοῦτον καταστήσονται. Sed in talibus facilius est, alicujus necessitatem emendationis quam unius cujusdam demonstrare; neque tamen credendum, nihil in his rebus certum esse, siquidem in ulla historiae parte certi quicquam esse potest. Etenim quamquam librorum scriptura accurate explorata debet certissimum libri cujusque fundamentum haberi, sunt tamen argumenta, quibus evidens fiat, aliquid quod scriptum est, ab ipso auctore non potuisse scribi, itemque alia sunt, quibus quae ejus vera sententia fuerit, evincatur; quae ubi restitui poterit litterarum mutatione tali, quae artis palaeographicae peritia comprobetur, et oratione ita instituta, ut a scriptoris consuetudine non abhorreat, tanta erit emendandi certitudo, quanta vel cautissimo existimatori satisfacere debeat. Quamobrem omnis hujus artis veritas continetur argumentis illis, quae divinationi ac sensui emendantis tamquam obrussa adhibenda sunt; atque ea si aut nulla reperiri poterunt, aut non satis gravia, emendatio tua, quamvis egregio acumine divinata sit, speciosa illa quidem potest haberi ac probabilis, certa vero ac necessaria videri non potest. Sed nolo haec accuratius persequi; verendum enim est, ne, si vel rectissime de exercenda arte critica praecipiam, tanto plura promittere videar, quanto plura desideravero; atque talis est in omni studio conditio, ut ejus quod agendum sit perfectam speciem facile animo cernas, id tamen quod egeris, longe ab ea distare sentias. Quod si mihi quoque, uti par est, accidisse et fateor ipse, et aliis ita videbitur, non debet vitio verti; neque aegre feram, si quis vel certis rationibus me do-

cebit errasse, vel feliciore ingenio meliora meis inveniet. Illud vero meo mihi jure sumere videor, quod ipsum hoc studiorum genus reprehendi nolo, quod quidem non utile solum esse, sed etiam, ut nunc tempora sunt, modestiae aliquam laudem habere arbitror. Haud raro enim accidere hodie videmus, ut qui in uno alterove alicujus scriptoris loco veram se vel interpretandi vel emendandi viam ingressos putant, separatim de iis locis disputare fastidiant statimque ad edendum totum scriptorem decurrant; ad quem quoniam paucissima vera ac certa conferunt, ita fit, ut quae nova est editio, non modo ipsa bona non sit, sed etiam alia bona quominus paretur impediat. Qua de causa ego quae ad Thucydidem aut interpretandum aut emendandum habui et nova et, ut mihi visum est, vera aut verisimilia, malui ita separatim exponere eorum in usum, qui aliquando digna tanto scriptore opera praestantissimum historiarum opus emendatius et explicatius efficient. Neque enim credendum est, jam nunc vel Bekkeri acuta sagacitate vel Popponis assidua diligentia vel variis aliorum studiis perfectum esse, ut Thucydides quantum alios scriptores ingenio praestat, tantum etiam vitiorum immunitate excellat; a quo quidem multo ille longius abest, quam plerique suspicari solent. Tale enim est Thucydidis scribendi genus, ut quum sint in eo sane haud pauca obscura, credantur tamen esse multo etiam plura; quae quidem opinio et vero ipsa etiam reverentia tanto ingenio debita in causa fuisse videtur, ut multi mallent non intellecta admirari quam emendare vitiosa. Ceterum ego me et a superstitione et a licentia pari intervallo

abesse volui; quamobrem et lenioribus vitiorum remediis usus sum quam potui diligentissime, et ubi audacior fui, facile a me impetravi, ut inventa mea premerem in praesenti et alii tempori repetitisque meditationibus reservarem. Denique ordinem quidem hunc fere secutus sum, ut quae vel interpretandi vel interpungendi ratione putarem corrigenda esse, priore loco ponerem, adderemque deinceps, quae aliquanto graviora artis nostrae arma desiderant. Sed tamen in tali quidem scriptione si certum ordinem anxie observem, verendum sit, ne putida ea ac parum utilis diligentia videatur; neque ego me hac jucunditate fraudare volui, ut paulo liberius aliquando, ubi commodum esset, a re proposita discederem. Denique quod lucubrationes hunc libellum inscripsi, nomen ei ex re feci; quae enim nunc profero, ea nocturnis studiis et inventa sunt pleraque Parisiis, quum dies toti militarium scriptorum libris mss. aut conferendis aut describendis insumendi essent, et perscripta omnia Vratislaviae, quum quidem novi muneris ratio vix etiam nocturna tempora mihi libera relinqueret. Quam ob causam, quoniam ipse adeo quandoque bonus dormitat Homerus, mihi si idem accidit, paratiorem etiam spero veniam fore. Praeterea illud quoque excusari velim, non quaesitum aut animadversum mihi esse, si quid forte ex aliquot annis de iisdem locis, quos tractavi, vel in minoribus libellis vel in ephemeridibus proditum est; eorum enim neque Parisiis versanti neque illinc reverso perscrutandi aut copia aut otium fuit.

Caput I.

De locis rectius construendis et interpungendis.

Lib. I. cap. 68. Τὸ πιστὸν ὑμᾶς, ὦ Λακεδαιμόνιοι, τῆς καθ' ὑμᾶς αὐτοὺς πολιτείας καὶ ὁμιλίας ἀπιστοτέρους, ἐς τοὺς ἄλλους ἤν τι λέγωμεν, καθίστησι. Est hoc ipsum Corinthiorum orationis initium, qui quum aliarum jam legati civitatium in Spartanorum contione multas de Atheniensium injuriis querelas protulissent, postremi prodeuntes studiosissime omnium id agunt, ut Spartanorum animos adversus Athenienses exacerbent et ad bellum sumendum excitent. Atque initio quidem non tam suo quam omnium nomine sociorum hoc conqueruntur, quod fidem sibi non habere soleant Spartani, eamque accusationem bis proferunt, primum quidem ita, ut hunc omni tempore constantem eorum morem esse dicant ex ipsorum institutis publicis ortum, deinde ita, ut nunc quoque in ea re quae agitur ob eundem morem eos dubitare adhuc cunctandoque magnam sociis calamitatem inferre declarent. πολλάκις γὰρ, inquiunt, προαγορευόντων ἡμῶν ἃ ἐμέλλομεν ὑπὸ Ἀθηναίων βλάπτεσθαι, οὐ περὶ ὧν ἐδιδάσκομεν ἑκάστοτε τὴν μάθησιν ἐποιεῖσθε, ἀλλὰ τῶν λεγόντων μᾶλλον ὑπενοεῖτε ὡς ἕνεκεν τῶν αὐτοῖς ἰδίᾳ διαφόρων λέγουσι. Quamobrem satis apparere arbitror, male Popponem et alios plerosque verba supra

posita ita construxisse, ut indicat interpunctio. Qui enim in λέγωμεν intelliguntur, socii omnes sunt, non soli Corinthii; τοὺς ἄλλους igitur intelligi necesse est reliquos Graecos, qui Spartanorum socii non sunt. Quare tum tantum suspiciosi Spartani esse dicuntur, quum socii reliquos Graecos accusant. Quae sententia quam sit ab hoc loco aliena, non opus est dicere; atque accedit etiam, ne vulgatam illam interpunctionem probemus, verborum collocatio, quae manifeste satis indicat, sic interpungendum esse: τὸ πιστὸν ὑμᾶς τῆς καθ' ὑμᾶς αὐτοὺς πολιτείας καὶ ὁμιλίας ἀπιστοτέρους ἐς τοὺς ἄλλους, ἥν τι λέγωμεν, καθίστησι. Ita enim τοὺς ἄλλους necessario intelligimus ipsos socios; nam de hostibus aliisve Graecis cogitare non licet, quandoquidem inter se agunt Spartani cum sociis suis; et fortasse tamen ἐς τοὺς ἄλλους ἡμᾶς scripsisset Thucydides, nisi accuratius etiam pro ἡμᾶς addidisset ἥν τι λέγωμεν, quo non solum illud ἡμᾶς continetur, sed praeterea etiam id ipsum diffidentiae genus indicatur, de quo hic agitur, quod quidem pertinet ad orationes sociorum.

Lib. III. cap. 2. εἰ μή τις προκαταλήψεται ἤδη, στερήσεσθαι αὐτοὺς Λέσβου. In his verbis ἤδη particula utrum ad prius an ad posterius membrum referenda sit, Poppo ait disputari, quod mihi quidem disputari non posse videtur; neque enim id agitur, quam mox amissuri sint Lesbum Athenienses, sed futurum id esse intelligitur, nisi quam celerrime Lesbiorum consiliis occurratur. Eodem modo lib. V, cap. 64 in illis: εἰ μὴ παρέσονται ἐν τάχει, ἀποστήσεται αὐτῶν Τέγεα. nemo voces ἐν τάχει volet cum altero membro conjungere. Quae rei ipsius ratio quamquam per se satis manifesta est, firmatur tamen loco simili lib. VIII, cap. 91. εἰ μή τις ἤδη φυλάξε-

ται, λήσειν διαφθαρέντας. Atque ob horum locorum similitudinem conjicio etiam lib. VIII, cap. 88. scribendum esse: καὶ εἰ μή τις ἤδη ναυμαχήσει ἢ ἀπαλλάξεται — ἀπολείψειν τοὺς ἀνθρώπους τὰς ναῦς aut etiam ἤδη διαναυμαχήσει pro vulgato εἰ μή τις ἢ διαναυμ. Nam praeterquam quod Cass. cod. h. l. dicitur ἢ omittere, legitur ἰδίᾳ vel ἰδία ναυμαχήσει in Aug. It. Vat. Pal. Atque manifesto in hoc quoque loco significatur, aliquid debere quam primum fieri, ut ne aliud quid fiat. Nam alibi non nescio, etiam sine ἤδη dici futurum tempus cum εἰ μή τις conjunctum, ubi rei celeritas aut minus requiritur aut certe verbis non indicatur. Vid. Aristoph. Ran. 10. εἰ μὴ καθαιρήσει τις, ἀποπαρδήσομαι. Thucyd. VIII cap. 53. εἰ μή τις πείσει βασιλέα. Lib. IV, cap. 68 εἰ μὴ πείσεταί τις· Lib. V, cap. 14. εἰ μή τις αὐτοῖς τὴν Κυνουρίαν γῆν ἀποδώσει. Semel Thucydides ita ἢν μή τις cum conjunctivo dixit lib. VII, cap. 11. Ceterum constans est in his verborum collocatio, a qua ubi disceditur, alia est sententia, veluti lib. V, cap. 26. εἴ τις μὴ ἀξιώσει. Sed ἤδη particulam alio etiam loco aliam ob causam restituendam duco. Nam lib. II, cap. 94 extr. quamquam in plerisque codd. sic legitur: καὶ μετὰ τοῦτο φυλακὴν ἅμα τοῦ Πειραιῶς μᾶλλον τὸ λοιπὸν ἐποιοῦντο, tamen quod olim vulgatum fuit ἤδη pro ἅμα mihi quidem longe probabilius videtur, in quo repudiando interpretes neque quae altera res in ἅμα voce intelligi possit exposuerunt, nec cogitarunt frequentissime Thucydidem dicere μᾶλλον ἤδη et ἤδη μᾶλλον, ubi progressum aliquem in aliqua re factum significat, quae antea quam aut plane non fieret aut paene non fieret, jam magis fieri coepta sit. Ejusmodi exempla vid. lib. I, cap. 3 duo; ib. cap. 8. cap. 49. lib. II, cap. 48. lib. VI, cap. 49. 59. 105. lib. VII,

cap. 4. 37. 43. 57. lib. VIII, cap. 71. extr. His unum addo, in quo ἤδη quidem recte legitur, μᾶλλον vero haud recte videtur omissum esse. Is locus est lib. VII, cap. 8. extr. ubi sic scripserim: ὁ δὲ τὰ κατὰ τὸ στρατόπεδον διὰ φυλακῆς μᾶλλον ἤδη ἔχων ἢ δι' ἑκουσίων κινδύνων ἐπεμελεῖτο. Nam quod μᾶλλον in duobus tantum codd. legitur, Vatic. et Paris. h. suspicionem movere potest, ne id additum sit ab iis, qui careri eo posse ante ἤ particulam non putarent; sed ipsum hunc usum apud Thucydidem quidem non plane liberum esse, demonstrat Goeller ad lib. VII, cap. 49. Praeterea si et codicis Vatic. auctoritatem consideres et Thucydidis illam consuetudinem, quam dixi, et locum simillimum lib. II, cap. 94. vix dubites, μᾶλλον illud quin ab ipso Thucydide scriptum sit.

Lib. III. cap. 31. ὅπως τὴν Ἰωνίαν ἀποστήσωσιν· ἐλπίδα δ' εἶναι· οὐδενὶ γὰρ ἀκουσίως ἀφῖχθαι· καὶ τὴν πρόσοδον ταύτην μεγίστην οὖσαν Ἀθηναίων ἢν ὑφέλωσι καὶ ἅμα ἢν ἐφορμοῦσιν αὐτοῖς δαπάνη σφίσι γίγνηται. Difficillimus hic locus est, cujus explicandi quas Poppo protulit rationes quattuor, eas omnes et ipse satis exagitavit, neque probare potest quisquam, qui non aut verbis vim facere aut sententiarum aptam structuram perdere velit. Bekkeri vero ratio potest illa quidem omnium maxime plausibilis videri, vera haberi non potest. Positis enim verbis illis: ἐλπίδα — ἀφῖχθαι inter parenthesis signa, siquidem recte ejus taciturnitatem interpretor, repetitam ἤν particulam ita cum praecedente ὅπως conjunxisse videtur, ut illa sit fere si forte; quae significatio quoniam non magnopere differt ab ὅπως particula, nemo negabit, posse utramque in eadem sententia ac pari dignitate conjungi. Habet tamen haec ratio magnum incommodum. Nam primum difficile admodum est sentire par-

ticulas illas sententiasque iis adjunctas inter se conjungi debere, postquam non solum duae sententiae eaeque alius structurae in parenthesi positae praecesserunt, sed etiam ἤν particula ad finem fere suae sententiae rejecta est; ita enim intervallum illud quod est inter ὅπως et ἤν, non solum verborum multitudine sed etiam varietate sententiarum adeo magnum extitit, ut majus fieri non posset, quod quam maxime contrahendum fuisse, apertum est, praesertim quum non ipsa ὅπως particula repeteretur, ἤν vero quamvis sensu cognata difficilius illius sententiae ordinem in memoriam revocaret. Quod incommodum, quam magnum ac grave sit, neminem fugit; accedit tamen alterum haud levius. Quid enim in causa fuisse dicemus, cur in pari sententiarum ordine semel ὅπως ac deinde bis ἤν poneret Thucydides? aliquam enim causam fuisse oportet in tam considerato quidem scriptore. Atqui nisi me omnia fallunt, ubi in significandis rebus iis, quas quis perficere studet, optio datur inter ὅπως et ἤν particulas, haec praefertur in re incertiore, illa in iis, quorum paulo certior spes est. Quod si verum est, uti videtur, facile apparet, si Bekkerum sequaris, particulas non modo sine ratione sed etiam contra rationem mutari. Magna enim profecto res est, si Ionia deficiat ab Atheniensibus, atque id qui efficere conatur, eo minus certam spem habere potest, si non Ionicam aliquam urbem sed Aeolicam Cymen tamquam rerum gerendarum sedem occupaverit, de quo quidem tum non conveniebat inter eos, qui Alcidae ignaviam consiliis regere cupiebant. Contra ut tributa interciperent et praeterea ipsos Athenienses ut cogerent in obsidendo sumptus facere, id vero multo facilius sperari poterat; neque enim ad eam rem totius Ioniae defectione opus erat. Quamobrem missis reliquis

omnibus explicandi et corrigendi loci rationibus una simplicissima relinquitur, quae mihi et nova videtur et una verissima. Servatis enim verbis ita ut a Bekkero scripta sunt, sublata tamen parenthesi, a verbis illis ἐλπίδα δ' εἶναι duo facio membra pendere, quae more Thucydidio inaequalia sunt; intelligendum enim est, spem illam impellendae ad defectionem Ioniae duabus contineri rationibus, quarum una posita in eo, quod jam factum est, altera in eo quod faciendum restat; atque illud quidem per γάρ adjungitur: οὐδενὶ γὰρ ἀκουσίως ἀφῖχθαι; hoc vero in duo membra aequalia divisum per duplex ἤν. Itaque potiundae Ioniae spes est propter propensum Ionum animum, et si amplissimus Atheniensium reditus intercipiatur atque iis ultro etiam sumptus faciendi necessitas imponatur. Similiter membra discrepant lib. IV, cap. 85. θαυμάζω δὲ τῇ τε ἀποκλήσει μου τῶν πυλῶν καὶ εἰ μὴ ἀσμένοις ὑμῖν ἀφῖγμαι. Lib. V, cap. 30. ᾐτιῶντο τήν τε ἐσήγησιν τοῦ παντὸς καὶ εἰ Ἀργείοις ξύμμαχοι ἔσονται. Differt autem haec explicatio eo maxime ab aliorum sententiis, qui ἤν fere pro ὅπως dici aut hoc pro illo intelligi volunt, quod illi in postremis his per ἤν particulam adjunctis verbis ipsum rei eventum statuunt indicari haud secus atque in illis: ὅπως τὴν Ἰωνίαν ἀποστήσωσιν· ego vero non eventum sed eventus condiciones intelligo. Tributa enim intercipi possunt, etiamsi nondum plane occupata Ionia sit; facilius tamen erit occupare Ioniam, si intercipiantur tributa omnium amplissima, propterea quod privati iis Athenienses novisque insuper sumptibus exhausti novum hoc de Ionia bellum minus poterunt sustentare. Ceterum cogitandum hoc quoque, quod nemini obscurum est, detrahi Atheniensibus amplissima sociorum tributa non ita, ut ea ipsi occupent Lacedaemonii, sed ita, ut sociis ea

aut remittant aut certe minuant; quo facto sibi animos eorum conciliabunt majoremque spem potiundae Ioniae habebunt. Atque eam sibi mentem esse etiam aliis locis declarant Lacedaemonii, ut detractis tributis Atheniensium opes exhauriant non suas ut augeant. Vid. lib. I, cap. 81. et cap. 122. lib. III, cap. 13. sub fin. cap. 39. cap. 46. lib. IV, cap. 87. lib. VI, cap. 91. lib. VIII, cap. 18.

Lib. III, cap. 98. Ἀπέθανον δὲ τῶν τε ξυμμάχων πολλοὶ καὶ αὐτῶν Ἀθηναίων ὁπλῖται περὶ εἴκοσι μάλιστα καὶ ἑκατόν, τοσοῦτοι μὲν τὸ πλῆθος καὶ ἡλικία ἡ αὐτή· οὗτοι βέλτιστοι δὴ ἄνδρες ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε ἐκ τῆς Ἀθηναίων πόλεως διεφθάρησαν. In vulgari hac hujus loci interpunctione additamentum illud τοσοῦτοι μὲν τὸ πλῆθος jejunum est atque habet nescio quid epicae copiae vel etiam loquacitatis, quod mihi vehementer abhorrere videtur a Thucydidis consuetudine. Accedit quod sententiis illo modo distinctis scripsisset potius: τοσοῦτοι μὲν τὸ πλῆθος, ἡλικία δὲ ἡ αὐτή. Quamobrem rectius sic scribi existimo: Ἀπέθανον δὲ — περὶ εἴκοσι μάλιστα καὶ ἑκατόν· τοσοῦτοι μὲν τὸ πλῆθος καὶ ἡλικία ἡ αὐτὴ οὗτοι βέλτιστοι δὴ ἄνδρες — διεφθάρησαν. Ita enim acceptae cladis gravitas tribus simul rebus describitur, numero, aetate, virtute occisorum; inter quae numerus, postquam jam antea accurate expressus est, aliquo minus definito vocabulo repeti debebat, cujus rei in illa altera ratione nulla necessitas est. Ceterum facile intelligitur longe aptius una interposita sententia ea omnia contineri, quae ad milites pertinent, quibus deinde additur alterius ducis mentio, adhibita, uti par erat, δέ particula.

Lib. V, cap. 74. Οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι προθέμενοι τῶν πολεμίων νεκρῶν τὰ ὅπλα τροπαῖον εὐθὺς ἵστασαν καὶ τοὺς νεκροὺς ἐσκύλευον καὶ τοὺς αὐτῶν

ἀνείλοντο. Hunc locum omnes quod sciam ita interpretantur, ut intelligant vel cum Porto et Duca caesorum hostium „arma in patente conspicuoque loco posita,“ vel cum Stephano „in medium prolata.“ Cujus rei se scribit Bloomfieldus non meminisse alibi usquam mentionem esse factam. Nec sane intelligitur quam ob causam arma ita exposita sint; quod si ad erigendum tropaeum factum esset, alio id certe modo dixisset Thucydides; maximum vero in illa ratione incommodum est, quod postea demum expositis jam armis erectoque tropaeo hostes spoliari narrantur. Quamobrem ego ita verba illa interpretor, ut genitivus τῶν πολεμίων νεκρῶν non pendeat a nomine ὅπλα, sed a verbo προθέμενοι, nec arma intelligantur caesorum sed Spartanorum; ut enim frequentissime dicitur τίθεσθαι τὰ ὅπλα in acie, quae certo loco consistit, ita hoc loco quum dici potuisset θέμενοι τὰ ὅπλα πρὸ τῶν πολεμίων νεκρῶν, dictum est illud eadem sententia: προθέμενοι τῶν νεκρῶν τὰ ὅπλα. Nimirum ante caesorum corpora constitit acies, quo tutius et tropaeum erigere et non solum hostium corpora spoliare, sed etiam suorum suscipere posset; quod negotium ne impediretur, etiam victis jam hostibus providendum erat; similemque aciei instruendae cautionem in suscipiendis mortuis adhibitam narrat Xenoph. Anab. VI, 3 (5), §. 5 sq. Constructio autem quam ego esse statuo, vulgaris est multorum verborum. Cf. ἀντιτιθέναι lib. II, cap. 85. lib. III, cap. 56. ὑπερφανῆναι τοῦ λόφου lib. IV, cap. 93.

Lib. VII, cap. 17. Ὅπως τὰς ὁλκάδας αὐτῶν ἧσσον οἱ ἐν τῇ Ναυπάκτῳ Ἀθηναῖοι κωλύοιεν ἀπαίρειν, πρὸς τὴν σφετέραν ἀντίταξιν τῶν τριήρων τὴν φυλακὴν ποιούμενοι. Postremorum verborum vulgaris interpretatio haec est: utpote suarum navium prae-

sidio adversus illorum triremes, quae se opponebant, se ipsos tuentes. Quod quam perverse dictum sit neminem fugit. Neque melior graeca Aem. Porti explicatio, quam Poppo satis habuit proferre: *σφᾶς αὐτοὺς φυλάσσοντες πρὸς τὰς ἑαυτῶν ταῖς Ἀττικαῖς ναυσὶν ἀντιτεταγμένας.* Nam neque bene graeca haec sunt nec perspicua; illud vero etiam falsum, quod *σφᾶς αὐτοὺς φυλάσσοντες* dicuntur, qui sunt *φυλακὴν ποιούμενοι.* Quem errorem puto vitasset Poppo, si paucis suis verbis uti voluisset; addidisset simul, id quod ante omnia dictum oportuit, in illo *ποιούμενοι* non Corinthios intelligi sed Athenienses. Quum enim Corinthii onerarias naves in Siciliam mittere vellent, veriti, ne eas Athenienses interciperent, triremes simul ad proelium paratas produxerunt, eo quidem consilio, ut dum in has Atheniensium animi convertuntur, illae liberum exitum haberent. Cf. infra cap. 19 extr. Ceterum hac potissimum de causa hunc locum protuli, ut eum ad alium rectius explicandum adhiberem qui est

Lib. VIII, cap. 45. *τήν τε μισθοφορὰν ξυνέτεμεν ἀντὶ δραχμῆς Ἀττικῆς ὥστε τριώβολον καὶ τοῦτο μὴ ξυνεχῶς δίδοσθαι, λέγειν κελεύων — ὡς Ἀθηναῖοι ἐκ πλείονος χρόνου ἐπιστήμονες τοῦ ναυτικοῦ τριώβολον τοῖς ἑαυτῶν διδόασιν — ἵνα αὐτῶν μὴ οἱ ναῦται ἐκ περιουσίας ὑβρίζοντες οἱ μὲν τὰ σώματα χείρω ἔχωσι, δαπανῶντες ἐς τοιαῦτα ἀφ' ὧν ἡ ἀσθένεια ξυμβαίνει, οἱ δὲ τὰς ναῦς ἀπολείπωσιν, ὑπολιπόντες ἐς ὁμηρείαν τὸν προσοφειλόμενον μισθόν.* Haec ut recte nunc sic scripta sunt, ita falso a Poppone explicata, qui, quod summum commodum in stipendiorum ratione et fuit et visum est Atheniensibus atque Alcibiadi, id pro summo incommodo habuit, assensus, ut quidem significare videtur, Arnoldo Anglo, cujus editionis volumen tertium inspicere mihi non licuit. Bloom-

fieldum tamen conjicio non in eodem errore fuisse, quippe qui rectissime de stipendii parte apud signa sequestrari solita produxerit et Iphicratis exemplum e Polyaeni lib. III, 9, 51. *) et Casauboni ad eum locum adnotationem, qui eundem morem Romanorum fuisse docuit. Atque quum et Iphicrates utilissimum illud consilium suum expertus sit, et Vegetius de re mil. II. cap. 20. id plane divinitus ab antiquis institutum dicat, mirum profecto est, quod Poppo non statuit fidei pignus esse partem illam stipendii non numeratam, sed potius rem bonae disciplinae periculosam; verendum enim fuisse judicat, ne acceptis nautae ternis obolis quod reliquum esset stipendii pro pignore relinquerent et deinde cum commeatu discederent exer-

*) Bloomfieldum notum est magnam locorum similium farraginem ad Thucydidem congessisse, quos saepe ex ipsa Graecorum scriptorum sentina petivit, vix ut ulla eorum vel utilitas vel auctoritas esse possit. Sed in tanta congestorum locorum multitudine sunt etiam, qui a re alieni sint; aliorum auctores parum accurate indicati sunt, alii reperiuntur negligenter descripti. Quos Poppo errores et conquestus est haud raro, et emendavit satis diligenter; fugerunt eum tamen nonnulla; veluti in hoc ipso Polyaeni loco omissae sunt voces ἐν τῇ δόσει τοῦ μισϑοῦ, quo tota sententia pervertitur. Sed gravius illud est, quod quum apud Thuc. lib. III, cap. 14. locutio illa ἴδιον τὸν κίνδυνον τῶν σωμάτων παραβάλλεσϑαι non posset aliorum scriptorum locis comprobari, qui fere ita loqui solent: παραβάλλεσϑαί τι ἐς τὸν κίνδυνον, Bloomfieldus protulit ex Onosand. pag. 99. verba haec: κίνδυνον εὐτόλμως παραβαλλόμενοι, quo quidem loco etiam ait interpretes aptius usuros fuisse, ac recte quidem, si is ita scriptus esset; sed Onosand. cap. 32. pag. 99. ed. Schwebel. sive pag. 104. ed. Cor. dixit potius πολλὰ πρὸς τὸν κίνδυνον εὐτόλμως παραβαλλόμενοι. Ceterum quamquam non habeo locum hoc aptiorem, non tamen ideo offendit me Thucydidis oratio; ut enim vitam, vires, pecuniam potest aliquis conferre ad bellum gerendum, ita conferre etiam potest suum quisque periculum, quod ipse aditurus est.

citumque infrequentem efficerent. Quasi vero suo arbitratu milites commeatum accipere potuerint, ejusque rei posito illo pignore certissimum quoddam jus adepti sint! Multo certe satius erat simul et negare iis commeatum et servare stipendii partem, ne eam per luxum profunderent. Quamobrem etiamsi amplius stipendium fuisset, cogendi non erant milites, ut id totum acciperent; nunc vero postquam id deminutum est, quam rationem habet vetare ne sua sponte, ut ait Poppo, partem ejus pro pignore ponant? Sunt haec certe erroris plena omnia nec opus est persequi singula. Videtur autem duas ob causas erratum esse. Primum enim obscurum fuit, qui sit aut unde oriatur ille προσοφειλόμενος μισθός, quum tamen narrentur Athenienses numerare militibus ternorum obolorum stipendium, non autem servare eorum partem. Nimirum spectat hoc eo, quod paulo ante dictum est ἀντὶ δραχμῆς τριώβολον καὶ τοῦτο μὴ ξυνεχῶς δίδοσθαι. Quum enim constitutum esset trium obolorum stipendium, non id tamen ξυνεχῶς numerabatur, sed identidem servabatur, ut superesset, quod deberetur militibus. Cf. infra cap. 78. cap. 83. Itaque Atheniensium exemplo duobus modis Alcibiades res militum temperabat; nam et deminuebat stipendium, ne nimia abundantia in luxuriam verteret, et deminutum aliquando pro pignore retinebat, cujus illi causa naves non desererent. Quorum prudentiam consiliorum non opus est laudibus tollere. Sed superest, ut participii illius ὑπολιπόντες veram rationem expediam, in qua rursus errasse Popponem manifestum est. Atque in hac re comparari volo superiorem illum locum lib. VII, cap. 17. Ut enim in illo per ὅπως μή, ita hic per ἵνα μή significatur id, quod ne fiat hominum consilium est, atque id praecipue quidem inest verborum vel con-

junctivis vel optativis. Iam vero ejusmodi verbis in tali re positis participia possunt duplici modo adjungi; est enim participium aut ita copulatum et quasi confusum cum verbo suo, ut quae proprie ad verbum pertinet negatio, eadem etiam participium tamquam illius partem complectatur, veluti in his: ἵνα μὴ τὰ σώματα χείρω ἔχωσι, δαπανῶντες ἐς τοιαῦτα ἀφ' ὧν ἡ ἀσθένεια ξυμβαίνει. quae si disjungas, bis ponenda erit negatio: ἵνα μὴ δαπανῶσιν ἐς τοιαῦτα μηδὲ διὰ τοῦτο χείρω τὰ σώματα ἔχωσιν. Ita duobus membris unum tantum ac simplex continetur hominis consilium. Cf. lib. II, cap. 67. ὅπως μὴ διαβάντες ὡς βασιλέα τὴν πόλιν βλάψωσιν. lib. I, cap. 31. lib. III, cap. 22. cap. 81. In altera vero ratione participium est illud quidem non minus pro natura sua verbo tamquam ejus pars notionis adjunctum: indicat enim ejus quod fit aliquam conditionem; neque tamen in hominis consilio utrumque pari modo comprehenditur; qui quoniam intelligit id quod fieri non vult, non fieri non posse, nisi aliud fiat re vera, alterum hoc quidem, in quo illius conditio est, per participium enunciat, sed id tamen ut fiat cupit, scilicet prius illud ut ne fiat. In tali igitur re manifestum est, quae ad verbum pertinet negatio, eam non item pertinere ad participium; id quod neminem fugit in illo loco lib. VII, cap. 17. cupiunt enim Corinthii, ut suis triremibus animos advertant Athenienses, quia iidem cupiunt, ut onerarias suas naves illi abire ne impediant. Sed eadem haec ratio alteri quoque loco adhiberi debuit; hoc enim efficere cupit Alcibiades, ne nautae naves deserant, cujus rei haec conditio est, ut stipendii partem pro pignore apud duces relictam habeant, id quod accidit stipendio non ad diem semper neque ξυνεχῶς numerando. Ceterum nunc demum recte intelligitur, quam

apte sit instituta Thucydidis oratio; prius enim membrum per οἱ μέν refertur ad deminuti, alterum per οἱ δέ ad sequestrati stipendii consilium; in utroque autem illud commune est, ne sint milites ἐκ περιουσίας ὑβρίζοντες; cernitur enim ὕβρις et in vita dissoluta et in deserenda militia.

Sed quoniam ad participiorum usum delati sumus addam pauca quaedam quae eodem pertinent; nam totum hunc usum exponere qualis sit apud Thucydidem, nunc non vacat; habet enim ea res, si accurate tractetur, multiplicem observationem magnamque difficultatem; et vel una illa quaestio de participiis pluribus uni verbo separatim additis haud mediocrem desiderat diligentiam. In quo usu quum alii perquam intemperantes fuerint, inter quos facile princeps est Polyaenus, medium quoddam temperamentum tenuit Thucydides, sapienter ille vim cujusque participii ponderans et pro eorum dignitate aut conjungens plura per aliquam particulam, aut alterum alteri quasi subjiciens atque inserens. Et ex hoc quidem genere illud est, quum unum participium cum aliquo nomine copulatum eandem fere sententiam habet, ac si dativo aliquo uteremur, quo alius rei gerendae causa vel instrumentum indicatur. Tale illud est lib. I, cap. 31. παρεσκευάζοντο νεῶν στόλον ἀγείροντες ἐρέτας, μισθῷ πείθοντες. aut lib. IV, cap. 92. τὴν γὰρ Βοιωτίαν ἐκ τῆς ὁμόρου ἐλθόντες τεῖχος ἐνοικοδομησάμενοι μέλλουσι φθείρειν. aut illud lib. IV, cap. 48. οἱ πολλοὶ σφᾶς αὐτοὺς διέφθειρον, οἰστούς τε ἐς τὰς σφαγὰς καθιέντες καὶ ἐκ κλινῶν τινων τοῖς σπάρτοις καὶ ἐκ τῶν ἱματίων παραιρήματα ποιοῦντες ἀπαγχόμενοι, παντὶ τρόπῳ ἀναλοῦντες σφᾶς αὐτοὺς καὶ βαλλόμενοι ὑπὸ τῶν ἄνω διεφθάρησαν. In quo loco non hoc solum memoratu dignum, quod παραιρήματα ποιοῦντες dictum est fere pro παραιρῇ,

μασι eademque dignitate praeditum atque praecedens dativus τοῖς σπάρτοις; sed illud etiam praeteriens moneo majorem participiorum numerum in causa fuisse, cur ab instituta oratione paululum deflecteret Thucydides adderetque alterum verbum διεφθάρησαν, quum prius illud σφᾶς αὐτοὺς διέφθειρον et remotius esset, quam cui commode annecterentur participia, nec sensu ita late patens, ut etiam τοὺς βαλλομένους comprehenderet, denique desideraretur etiam gravior totius sententiae clausula. Quamobrem frustra sunt, qui παντί τε τρόπῳ scribi voluerunt, debebatque ejusdem rei observatio adhiberi loco simillimo lib. III, cap. 59. αἰτούμεθα ὑμᾶς θεοὺς-ἐπιβοώμενοι, — προφερόμενοι ὅρκους —, ἱκέται γιγνόμεθα ὑμῶν τῶν πατρῴων τάφων καὶ ἐπικαλούμεθα τοὺς κεκμηῶτας —. Ut enim illic διεφθάρησαν pro σφᾶς αὐτοὺς διέφθειρον, ita hic ἱκέται γιγνόμεθα pro αἰτούμεθα non tam positum quam repetitum est; de quo loco quae fuerint interpretum opiniones nolo exponere; hoc tamen addo, ut redeam illuc, unde digressus sum, hic quoque participium illud ὅρκους προφερόμενοι eodem modo dictum videri atque supra παραιρήματα ποιοῦντες; commemorando enim Plataeenses jurejurando non tam hominibus supplicant quam provocant ad deos. Accedat denique ad eandem locorum similitudinem illud ex lib. IV. cap. 90. τάφρον-ἔσκαπτον, ἐκ δὲ τοῦ ὀρύγματος ἀνέβαλλον ἀντὶ τείχους τὸν χοῦν, καὶ σταυροὺς παρακαταπηγνύντες, ἄμπελον κόπτοντες τὴν περὶ τὸ ἱερὸν ἐσέβαλλον, καὶ λίθους ἅμα καὶ πλίνθον ἐκ τῶν οἰκοπέδων τῶν ἐγγὺς καθαιροῦντες, καὶ παντὶ τρόπῳ ἐμετεώριζον τὸ ἔρυμα. Qui locus quam male nunc intelligatur, docet vulgaris editionum omnium interpunctio ea quam posui. Ceterum et verba et res ipsa planissime demonstrant, sic interpungendum esse: σταυροὺς παρακαταπηγνύντες

ἄμπελον κόπτοντες τὴν περὶ τὸ ἱερόν, ἐσέβαλλον καὶ λίθους ἅμα καὶ πλίνθον ἐκ τῶν οἰκοπέδων τῶν ἐγγὺς καθαιροῦντες. Nam primum quidem manifestum est, participium ἄμπελον κόπτοντες eodem exemplo usurpatum esse, quo superiora, quae tractavi; declarat enim, unde sumpti sint valli, qui humum ex fossa egestam utrimque in terram defixi cohibent; scilicet ex vitibus facti sunt valli; atque id hic per participium κόπτοντες plane eodem modo declaratur ut deinceps in sequente membro per καθαιροῦντες explicatur, unde Athenienses lapides lateresque acceperint, quos inter vallos injecerunt; quo fit, ut in hac nostra ratione summa sit orationis aequabilitas. De ipso autem operis genere conferri debet locus similis lib. II, c. 75. Non fugit ea explicatio Popponem, sed secutus est deteriorem propterea quod minus ei placebat verbi ἐσέβαλλον collocatio; quamquam huic quidem argumento nec ipse multum tribuisse videtur, nec alii tribuent quicquam. Verum enimvero gravius illud est, quod ait: quis vallos ex vitibus factos esse credet? Et infra cap. 100 (male enim scripsit 106.) vites a ξύλοις, id est a vallis, discerni Heilm. recte observavit. Nollem vero his ita parum considerate usus esset vir cl. Nam de vitibus quidem facile largior, si quis fortioris ligni copiam habeat, eum non illis potissimum usurum ad vallos conficiendos; sed in re necessaria quum opus omni modo festinabatur, cur id factum esse non credatur? quum praesertim hae non Marchicae quaepiam male natae vites sint sed Boeoticae in loco sacro antiquitus diligenter cultae. Quod vero postremo loco auctore Heilmanno argumentum posuit Poppo, eo vereor ne sua ipse vineta ceciderit. Nam discerni quidem cap. 100. vites a ξύλοις, verum sane est; sed ξύλα vallos esse, verum non est. Nar-

rat enim Thucydides, praeter aggerem illum etiam πύργους ξυλίνους esse constitutos; quamobrem obscurum esse non potest, quum dicit cap. 100. machinam flammas efflantem admotam esse τῷ τείχει, ᾗ μάλιστα τῇ ἀμπέλῳ καὶ τοῖς ξύλοις ᾠκοδόμητο, ἄμπελον quidem pertinere ad vallos, ξύλα vero ad turres ligneas hic illic in illo vel aggere vel muro extructas; quamquam etiam si forte nonnulli valli ex alio ligno facti fuerint, quam ex vitibus, non id magnopere mirandum erat neque ideo magis probabilis erit Popponis sententia. Accedit, ut ne minima quidem omittam, quod si vites inter vallos ex fortiore ligno factos interjectae fuissent lapidibus quidem, uti par est, lateribusqne et mixtae et tectae, ne ignem conciperent, paene periculum nullum erat, neque poterat eas Thucydides cap. 100 vel etiam ante ξύλα appellare.

Caput II.

De locis rectius interpretandis.

Qui et Popponis utilissimos commentarios aut conscriptos ab ipso aut aliunde collectos accurate perlegerit et aliquanto etiam accuratius tractaverit Thucydidem ipsum, eum satis scio permulta animadversurum esse, quae aut parum accurate aut etiam falso explicata sint, alia vero silentio transmissa, quae interpretis diligentiam desiderabant. Ex his mihi pauca quaedam proferre in animo est; multa enim nec libet nec vacat. Ponam autem primo loco disputationem jam olim a me editam de lib. III, cap. 33 et 29, quam nunc novis curis retractavi.

Lib. III, cap. 33. quum antea recte scriberetur περὶ Κλάρου et τῇ Κλάρῳ, Poppo nuper edidit περὶ Ἴκαρον et τῇ Ἰκάρῳ sine ulla librorum Mss. auctoritate, sua ductus conjectura, cui ne nimium tribueret, poterat eum vel hoc admonere, quod non solent librarii ignota nomina pro notis ponere. Sed quum Haackius et Goeller et Bloomfieldus eandem secuti essent conjecturam, quibus postea accesserunt etiam J. Bekker et Morstadtius, non passus est Poppo se ab ea deduci iis quae prudenter contra disputata sunt ab Arnoldo et Gervino, quorum partim jam monuerat Haackius. Qua de causa totam nunc rem or-

dine exponemus, si forte persuadere possimus viris illis doctissimis et de Thucydide optime meritis, male factum esse, quod Claro Icarum praetulerunt.

Mytilenaeis a Pachete Atheniensium duce obsessis quum auxilium ferri vellent Peloponnesii, missus est Alcidas Spartanus cum navibus quadraginta, insigni homo inscitia et ignavia, qui pulcherrima consilia ingenii tarditate corrumperet. Qui quum ignorare non posset summa celeritate opus esse, ne diuturna obsidione fatigati et terra marique clausi Mytilenaei animo deficerent, tamen ita rem gessit, ut solent ignavi, qui effugere periculum videntur dum differunt. Primo enim haerere circa ipsam Peloponnesum ibique multum temporis terere neque tamen ullam rem gerere, quae memoriae prodatur; deinde tardo itinere proficisci Delum, Icarum, Myconum, (ita enim nunc legitur apud Thucydidem), ibique ei de capta Mytilene allatum est. Sed quum de tanta clade certius aliquid vellet cognoscere, Embatum petiit, qui locus est in Erythraeorum finibus prope Lesbum. Eo pervenit septem maxime diebus post Mytilenen captam, et consilio habito quum ea, quae prudentissime suadebant Teutiaplus Eleus et Lesbii exulesque Jones, iners homo sprevisset omnia, secutus id, quod erat tutissimum, quandoquidem Mytilenen servare nequivisset, velle se dixit quam celerrime redire ad Peloponnesum. Itaque hinc reversus nulla re gesta, quae tanto apparatu digna esset, Myonnesum attigit parvam insulam in Teiorum dicione sitam, ubi quos in itinere captivos ab insularum littoribus abripuerat, supplicio plerosque affecit. Deinde a Myonneso Ephesum tenuit, ubi eum legati Samii ab Anaeis adierunt, de captivorum caede querentes. Quorum oratione adductus est, ut dimitteret Chiorum quos reliquos fecerat ceterorumque non-

nullos. Mox ab Epheso digressus celeriter fugit metuens ne Athenienses se sequerentur; conspectus enim erat quum adhuc circa Clarum (aut Icarum) esset a Salaminia et Paralo Atheniensium navibus. Haec qui legerit, non dubitabit quin exiguum fuerit spacium, quod ille ab eo loco, ubi visum se sciebat, antequam recta fugeret, permensus est. Haud dubie autem, quandoquidem jam ad Embatum celeritatem adhibere constituerat, ea profectus est, qua erat proximum, ut a Myonneso oram legens Lebedum praeterveheretur Clarumque et Notium, et deinde Ephesum accederet. Est autem Clarus media ferme via inter Myonnesum et Ephesum, et distat ab Epheso stadiis octoginta, id quod testatur Xenoph. Ephes. I, pag. 8. Nihil igitur magis est verisimile, quam a Claro, quum ibi conspectus esset ab Atheniensibus, non amplius LXXX. stadiis ausum esse progredi Alcidam. Sed Poppo et qui eum sequuntur non in hoc reditu Alcidam appulisse ad Icarum statuunt, quam pro Claro ponunt, sed antequam accederet ad Embatum, a Delo venientem. Dixit enim Thucydides cap. 29. τοὺς μὲν ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίους λανθάνουσι, πρὶν δὴ τῇ Δήλῳ ἔσχον· προσμίξαντες δὲ ἀπ᾽ αὐτῆς τῇ Ἰκάρῳ καὶ Μυκόνῳ πυνθάνονται πρῶτον ὅτι ἡ Μυτιλήνη ἑάλωκε. Quibus illi verbis rem eandem significari statuunt ac deinde, ubi narratur Alcidas visus esse a Salaminia et Paralo. Quid autem? cur non tum statim fugere coepit Alcidas, sed propius etiam accessit ad Lesbum, ubi sciebat magnam esse Atheniensium classem? an putabimus majorem tum ei animum fuisse, quam fuit postea? — At voluit certius aliquid cognoscere de Mytilene capta; audio; sed eam ob causam neque tam prope accedere opus erat, et poterat rem explorare paucarum periculo navium. Confisus vero etiamtum eo, quod nondum

quicquam de itinere suo Athenienses rescivissent, Embatum progressus est. Atque ibi quum de reditu jam cogitaret (τὸ πλεῖστον τῆς γνώμης εἶχεν), nondum tamen plane certus consilii, non hanc ei causam fuisse Thucydides refert, quae quidem in hoc homine erat omnium gravissima, quod visus esset ab Atheniensibus, sed quod Mytilenen liberare non potuisset.

Haec quamquam sufficere posse videntur ad demonstrandum id quod volo, addam tamen etiam reliqua. Verbis illis cap. 29. quae supra posui consentaneum est nihil aliud significari, quam tunc ipsum, quum Delum attigerunt Peloponnesii, sensisse eorum iter Athenienses τοὺς ἐκ τῆς πόλεως. Quid enim aliud est illud λανθάνουσι πρὶν δὴ τῇ Δήλῳ ἔσχον nisi hoc: latuerunt, donec Delum appulerunt? Et vero rectissime hoc quidem Poppo intellexit, qui dicat et non visum esse Alcidam antequam Delum attingeret, et visum eundem ad Clarum, non posse eum de uno loco cogitare, quo semel visus sit Alcidas, quia Clarus longissime abest ab Delo. Sed idem tamen Poppo illud ferendum esse existimavit, quod qui non ante Delum et qui circa Icarum visus esse dicatur, is eodem in loco ac semel visus intelligi debeat; id quod ego quidem non magis ferri posse arbitror. Cur enim utrique locutioni eandem tribuere sententiam magis in Icaro liceat quam in Claro? nimirum qnia ab Delo Icarus abest propius. At non tam prope, ut possit quasi promisce Icarus pro Delo dici; quod si in Mycono vel Rhenea ferri facile potest, in Icaro non potest. Est enim Icarus medio ferme itinere inter Delum et Clarum, et paulo etiam propius Clarum. Praeterea in iisdem illis verbis satis manifestum est, opponi inter se haec: πρὶν δὴ τῇ Δήλῳ ἔσχον et προσμίξαντες δὲ ἀπ' αὐτῆς τῇ Ἰκάρῳ καὶ Μυκόνῳ· ut qui haec legerit,

nemo possit intelligere postea demum quum relicta Delo cursum continuasset, visum esse Alcidam.

Sed concedamus paulisper et circa Icarum Alcidam incidisse in Athenienses et eos vectos esse Salaminia et Paralo navibus; multo profecto prius hi poterant certiorem facere Pachetem de adventu classis Peloponnesiacae, quam haec perveniret Embatum. At contra ille postea demum ab Erythraeis et ab aliis undique eum nuncium accepit, et quum deinde e vestigio (ὑπὸ σπουδῆς) persequeretur Alcidam, longe provectus usque ad Patmum insulam, deprehendere eum non potuit. Hoc fere argumento usus etiam Arnoldus est. Poppo tamen cur nihilominus statuat semel tantum ab Atheniensibus conspectum esse Alcidam, declarat ipse his verbis: τοὺς ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίους non alios esse, quam eos, qui in Salaminia et Paralo erant, inde manifestum est, quod hae naves hic forte Athenis navigasse perhibentur. Qua in re miror virum praestantem, quod quam mirifico vertatur gyro non animadvertit; sumit enim pro demonstrato id ipsum quod demonstrare volebat. Quid enim? an forte cap. 29. prope Delum navigasse Salaminiam et Paralum Thucydides perhibet? minime vero, sed deinde cap. 33. prope Clarum; id autem idem esse atque illud p r o p e D e l u m, eamque ob causam pro Claro Icarum scribi debere, et τοὺς ἐκ τῆς πόλεως intelligendos esse eos, qui fuerint in Salaminia et Paralo, hoc illud erat, quod demonstrari debebat argumentis aliis.

Reliquum est, ut ipse dicam quos existimem esse illos ἐκ τῆς πόλεως Athenienses; quod quamquam certo dici non potest, nihil tamen impedit, quo minus aut Athenienses intelligamus eos, qui forte tum erant in Delo, quum appellebat Alcidas, sive publici alicujus sive etiam privati negotii causa, aut cogitemus de illis

Atheniensium navibus, quae tum et ipsae erant circa Peloponnesum atque hoc imprimis agere et debebant et poterant, ut quid rerum gereret Alcidas observarent; et has quidem intelligi eo magis est probabile, quod tunc ipsum ex urbe venerant nec erant e sociis sed ex ipsis civibus et inquilinis instructae; vid. c. 16. Sunt igitur hi proprio quodam sensu οἱ ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναῖοι. Qui quoniam non viderant Alcidam donec circa Peloponnesum erat, quum paulo post domum revertissent, consentaneum est ab Delo aliquem nuncium de eo Athenas pervenisse. Ita si statuas, nihil est in Thucydidis verbis, quo offendare. Atque conjectando quidem licet etiam longius progredi. Allato enim illo nuncio quamquam credibile videri non poterat tantum animorum esse Peloponnesiis, ut de maris imperio invadendaque Lesbo et Ionia cogitarent, eoque jam periculi ventum esse, ut classis esset submittenda, digna tamen res erat, de qua diligentius quaereretur. Quare haud improbabile mihi videtur, eam ipsam ob causam Athenis missas esse Salaminiam et Paralum naves, ut observarent Alcidam, easque illum tardo itinere ab Delo profectum assecutas forte esse circa Clarum. Quamquam si quis illud: αἱ δ' ἀπ' Ἀθηνῶν ἔτυχον πλέουσαι nolit in hanc sententiam accipere malitque aliam putare fuisse navigandi causam, non magnopere repugnem; neque enim in hoc rei summa vertitur. Ceterum eadem locutione alibi quoque utitur Thucydides, ut lib. I, cap. 116. ἔτυχον δὲ αἱ πᾶσαι ἀπὸ Μιλήτου πλέουσαι.

Aliud addidit quo conjecturam suam confirmaret Poppo hoc, quod cap. 29. in quibusdam libris mss. Clarus legatur corrupte quidem pro Icaro; sed id quam leve sit argumentum, neminem fugit. Etenim sic quoque non minus grave est, quod cap. 33. ne

unus quidem liber ms. quamvis depravatus uno aut altero loco praebet Icari nomen pro Claro; qui consensus in tanto librorum mss. numero eo majoris momenti esse debet, quod ignotum est Clari, notissimum Icari nomen. Atque de illo loco cap. 29. longe alia est quaestio. Scribitur vulgo προσμίξαντες δὲ ἀπ' αὐτῆς τῇ Ἰκάρῳ καὶ Μυκόνῳ. Sed in cod. Oxon. (Ch.) et in Hafniensi (D.), in marg. Arundeliani, in marg. Steph. I. pro Ἰκάρῳ est Κλάρῳ; idem legitur e corr. in Paris. e., et in Lugdun. in quo ἰκάρῳ suprascriptum est; praeterea Κάρῳ habet Palat. et Ἰλάρῳ Vindob. Mira profecto haec varietas in nomine notissimo. Quid si id corruptum sit? Alterum enim fieri necesse est, aut nomen illud depravatum esse, aut Thucydidem nisi erraverit vehementer, negligentissimum certe fuisse. Cui enim credibile erit, quum relicta Delo Icarum appelleret Alcidas, factum id esse ante quam Myconum attingeret? Scilicet Myconus proxime Delum est, Icarus multo distat longius; cursum vero ad insulas a Delo plus minusve remotas continuum aequabilemque susceptum esse sine tam grandi circuitu, quum per se est consentaneum, tum satis significari videtur verbis illis: προσμίξαντες δὲ ἀπ' αὐτῆς. Qua de causa aut transponenda sunt nomina sic ut scribamus τῇ Μυκόνῳ καὶ Ἰκάρῳ, aut, id quod mihi quidem intuenti tantam illam codicum mss. fluctuationem probabilius videtur, scribi debet: τῇ Πάρῳ καὶ Μυκόνῳ. Nam Icari quidem nomen potuit etiam insulsissimis librariis e fabulis notum esse; Pari nomen, cujus infrequentior mentio est, corrumpebatur facilius; quod si semel scriptum erat Κάρῳ, quemadmodum scriptum re vera est in cod. Palatino, manifestum est quam facile fieri potuerit, ut alii Ἰκάρῳ effingerent, alii circumspectiores scilicet Clari nomen e cap. 33. huc transferrent.

Denique ne quid desit ad explorandum Alcidae iter, quaerendum est, quando Samum et Chium attigerit, a quarum utraque insularum captivos homines abduxerat. Factum id erat ante quam Myonnesum attingeret, ubi illorum partim interfecit. Quare perspicuum est Samum eum attigisse tum quum a Mycono veniret et Embatum peteret. Chium vero potuit et progrediens et in reditu attingere. Icarus autem tam prope abest ab Samo, XXXV milia passuum ait Plin. N. H. IV, c. 23., ut in hac quum esset, facile illuc quoque appellere potuerit. Sed id ut memoraret Thucydides, causa non erat; de Icaro enim nihil tradidit in hac re gestum, quod memoria dignum esset.

Fusius haec exposui, quod operae precium videbatur veterem Thucydidis scripturam injuria mutatam diligentius defendere, praesertim quum agendum esset contra viros magna auctoritate praeditos. Nunc antequam ad alia pergam, quoniam Mytilenaeorum injecta mentio est, hoc quoque addam, posse de origine seditionis eorum pauca illa Thucydidis verba, quae leguntur lib. III, cap. 2. accuratius explicari, quam fecit Poppo; licetque in eam rem componere historiam neque inficetam neque improbabilem, quae quoniam in privatis rebus versatur, Thucydidi non digna visa est, quam referret. Eam tamen quoad ejus fieri potuit conjecturis meis quodammodo instauratam ab oblivione vindico et tamquam benignam materiam fabularum scriptoribus dedico, nisi quis forte alius reperietur, qui ei fidem adhibeat.

Belli Peloponnesiaci tempore Mytilenae fuit civis inter primos nobilis, nomine Timophanes, magna praeditus fortuna, popularium partium acerrimus adversarius. Erant ei filiae duae, Hellanis et Lamaxis, morum

probitate insignes, pulchritudine vero tanta, ut Lesbias puellas omnes facile vincerent; atque ad tanta naturae bona accedebant etiam magnae patris divitiae, quae quum virilis soboles nulla esset, ad illas erant deventurae. Quare multa ubique illarum et egregia fama erat, nec deerat magna optimorum juvenum cohors, qui eas sibi in matrimonium peterent. Erat eodem tempore Mytilenae Doxandrus magni nominis civis, popularis imperii studio Atheniensibus acceptissimus et ab iis hospes publicus constitutus. Qui mortuo Timophane quum haberet filios duos, coepit magno ardore consilia agitare de nuptiis inter hos et illius filias conciliandis. Sed obstabant multa, ac maxime quidem illud, quod propinqui puellarum, quorum eae in potestate erant, quum ab optimatium partibus starent, nobiles nuptias circumspiciebant plebejique hominis sobolem aspernabantur. Quod ubi Doxandrus intellexit, ipsa rei difficultas auxit ei animum, et ad contemptus sensum accedente ambitione, jam plane vitam sibi acerbam ac non tolerandam judicabat, nisi superbiam nobilium fregisset summamque gloriam una cum maximis divitiis familiae suae parasset. Quamobrem postquam preces et dona et assidua omne genus officia non procedere sibi videt et jam constante rumore duo quidam nobilissimi ephebi mariti destinantur puellis, tum vero violentius agere coepit, vim minitari tutoribus, plebem contionibus exagitare, nobilium fastum et impotentiam accusare, denique sive vere sive falso clandestina eorum consilia crepare, quasi seditionem molirentur ac civitatem Lacedaemoniis proderent vellent perpetuis popularis imperii inimicis. Jamque eo ventum erat, ut res ad tumultum spectare videretur et manus etiam in foro consererentur. Neque tamen territi sunt puellarum tutores ac propinqui

qui communi inito cum omni nobilitate consilio generosos maritos elegerunt, nuptiasque magna pompa celebrarunt. Quas quum Doxandrus comparata plebejorum manu per vim turbare conaretur, nobiles globo facto et illorum furorem reppulerunt, et quum haud injuria suspicarentur, magnam sibi invidiam a Doxandro apud Athenienses conflatam esse, seu metu seu conscientia, tutissimum rati facere id, quod accusabantur, rerum per vim potiti sunt et ab Atheniensibus invita plebe defecerunt. In quibus rebus omnibus strenuam operam navarunt mariti illi, qui etiam bello exorto praecipui exercitus duces extiterunt. Sed cum Athenienses duabus advecti classibus Pachete duce urbem terra marique obsiderent, neque ulla ab Lacedaemoniis auxilii spes esset, et intestino etiam seditionis malo laboraretur, accidit ut nobiles a plebe coacti urbem dederent ea lege, ne quem in vincula conjiceret Paches aut supplicio afficeret antequam legati de venia impetranda Athenas missi revertissent. Itaque ille urbem cum exercitu ingressus statim ostendit, quam parum victis sit in pactis fiduciae; atque ii quidem inter nobiles, qui maxime defectionis auctores fuissent, de salute sua solliciti, ad deorum aras confugerunt; inter quos erant etiam Timophanis generi. De quorum uxoribus Paches quum summa quaeque praedicari audiret, nefaria eum cupido invasit, ut eas in praedae parte tamquam servas acciperet; libidinemque ejus per imprudentiam castissimae feminae magis etiam accenderunt; quum enim accederent ad eum, genibusque advolutae pro maritorum salute supplicarent, ille preces quidem nihili fecit, pulchritudinis vero admiratione abreptus, ipsas in tempus dimisit, maritos autem clam interfici jussit, quum quidem eos se Tenedum missurum diceret cum reliquis nobilibus, quos ab aris ab-

reptos in tutum scilicet locum transportabat. Feminae tamen ubi et caedem maritorum et Pachetis libidinem intellexerunt, magno animo inter hostium stationes elapsae mare versus aufugerunt et navigium nactae summo cum periculo Athenas pervenerunt. Ibi tum Cleo plebis favore maximam potentiam obtinebat, qui homo ut erat in summa ignavia saevissimus et atrocissimae cujusque sententiae auctor, adegerat populum, ut de omni Mytilenaeorum civitate supplicium sumi juberet, aegreque Diodoti studio perfectum erat, ut mutato populiscito in nobiles tantum saeviretur. Hellanis vero et Lamaxis quum patris maritorumque amicos et propinquos adirent, omnes quum pulchritudinis suae tum animi constantiae admiratione impleverunt, neque ulla alia tum fabula tota urbe celebrior fuit; tantumque erat rei miraculum ac tam propensa omnium voluntas, ut nemini dubium esset, quin iterum mitigato populiscito optimates quoque incolumes evadere potuissent, si mulieres paucis diebus prius advenissent. Sed illae patriam maritosque quum servare incolumes non potuissent, fortissime tamen perditos ultae sunt; nam et pulchritudine et castitate summa et verissimo dolore adeo ceperunt hominum animos, tantamque fidem sibi ac miserationem omnium conciliarunt, quum de avaritia et perfidia et libidine Pachetis quererentur, ut quum ille ab imperio reversus repetundarum reus factus esset, infensissimos judices haberet desperataque salute in ipso judicio se gladio transfigeret. Hellanis vero et Lamaxis in desolatam patriam reversae quum diem obissent, prope maritos sepultae multis post saeculis laudibus cultuque omnium celebratae sunt ut fortissimae heroinae, patriae maritorumque ultrices.

Sed haec hactenus; quae quam vere narraverim, si quis cognoscere cupit, testes habeto Aristot. Polit.

V, cap. 3, 3. Agath. in Analectt. III. p. 64. ed. Jacobs. T. IV. p. 34. Plutarch. Nic. cap. 6. Aristid. c. 26. De morte Pachetis dedita opera egit Connop Thirlwall in libro Anglico, quem mihi videre nondum licuit, Philological Museum, vol. II. pag. 236 — 240.

Lib. IV, cap. 85. *καὶ τὴν αἰτίαν οὐχ ἕξω πιστὴν ἀποδεικνύναι, ἀλλ' ἢ ἄδικον τὴν ἐλευθερίαν ἐπιφέρειν ἢ ἀσθενὴς-ἀφῖχθαι.* In hoc loco nescio quis error occupaverit viros doctissimos, Portum, Ducam, Bloomfieldum, Arnoldum, Popponem, ut, quum verissima explicatio jam ab Scholiasta esset proposita, aliam falsam miro consensu sequerentur. Cujus enim rei *αἰτίαν* Brasidas intelligat, ita illi explicant, ut e proximis verbis cogitatione addant *τοῦ μὴ δέξασθαι.* In qua ratione quomodo *πιστὴν ἀποδεικνύναι* explicari possit probabiliter, equidem haud intelligo; id enim si est: demonstrare aliquid fide dignum esse, nullo modo potest in Brasidam cadere, ut causam fide dignam esse demonstret, qua adducti Acanthii ad Lacedaemonios deficere noluerint; quam causam quo probabiliorem proferet Brasidas, eo magis reliquorum animos ab se abalienabit. Sed quid id rei sit, satis declaratur membro sequente illius contrario; nam quod videbitur injustam libertatem afferre, contrarium est ejus quod initio belli professi erant Spartani, se nullam aliam ob causam bellum Atheniensibus facere, quam ut libertatem reliquis Graecis pararent; injusta enim ea libertas est, si potius contra Athenienses vel pro Lacedaemoniis instituitur, quam pro Acanthiis. In hoc autem summa rei vertitur, ut Graeci intelligant, Spartanos bona fide agere et, id quod professi erant, boni publici causa. Cf. lib. VIII, cap. 52. *τὸν λόγον-περὶ τοῦ ἐλευθεροῦν τοὺς Λακεδαιμονίους τὰς ἁπάσας πόλεις ἐπηλήθευσεν ὁ Λίχας.* Quamobrem ut jam antea Brasidas

dixit: ἡ μὲν ἔκπεμψίς μου-γεγένηται τὴν αἰτίαν ἐπαληθεύουσα, ἣν ἀρχόμενοι τοῦ πολέμου προείπομεν, ita nunc in eandem sententiam dicit, causae illi ac professioni non amplius fidem habitum iri, si Acanthii ei fidem primi denegaverint suaque auctoritate aliis exemplo fuerint. Πιστόν autem illud magis etiam quum reliqua tota oratione, tum maxime cap. 86 initio demonstrat. Rectissime igitur Schol. καὶ τὴν αἰτίαν τῆς ἐμῆς ἐξόδου λέγων οὐ πιστευθήσομαι, nec dissentit Haackius, qui etiam in sequentibus infinitivos ἐπιφέρειν (nam ἐπιφέρων sine causa conjicitur) et ἀφῖχθαι rectius aptos esse statuit ex ἔξω ἀποδεικνύναι, quam vel Bauer ex solo ἔξω, vel Poppo cum Arnoldo ex αἰτίαν ἔξω, vel idem cum Abreschio ex πιστευθῆναι, quod insit in illo πιστὴν ἀποδεικνύναι. Nam etsi ἔξω ἀποδεικνύναι proprie quidem non dicitur nisi de re bona, quam quis cupit demonstrare, tamen intercedente ἀλλά particula mutatur significatio, quia in rem contrariam transfertur, quemadmodum saepe apud Latinos quoque in ejusmodi antithesi aliqua prioris membri vox in altero ita omittitur, ut contraria intelligatur, veluti quisque pro nemo, necesse esse pro posse. Vid. Matth. gr. gr. §. 634. 3.

Lib. VII, cap. 75. Δεινὸν οὖν ἦν οὐ καθ' ἓν μόνον τῶν πραγμάτων ὅτι τάς τε ναῦς ἀπολωλεκότες πάσας ἀπεχώρουν καὶ ἀντὶ μεγάλης ἐλπίδος καὶ αὐτοὶ καὶ ἡ πόλις κινδυνεύοντες· ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ ἀπολείψει τοῦ στρατοπέδου ξυνέβαινε τῇ τε ὄψει ἑκάστῳ ἀλγεινὰ καὶ τῇ γνώμῃ αἰσθέσθαι. Ego quidem quamquam diligenter consideravi quae ad hunc locum dixit quaeque non dixit Poppo, repperire non potui, quae ejus sententia fuerit; videtur tamen probabilem putare Baueri explicationem, qui voces οὐ καθ' ἓν μόνον τῶν πραγμάτων sic interpretatur: non uno modo, auf

mehr als eine weise, aus mehr als einer ursache; ex qua explicatione Poppo ait subjectum ennunciati esse vocem praecedentem ἡ ἀνάστασις, eique rationi favere locum Herodoti V, 78. δηλοῖ δὲ οὐ κατ' ἓν μοῦνον ἀλλὰ πανταχῇ ἡ ἰσηγορίη ὡς ἔστι χρῆμα σπουδαῖον· quem locum attulerat Jacobsius docens ad normam eorum, quae habet Matth. Gr. gr. §. 298. 1. verba οὐ καθ' ἓν μόνον τῶν πραγμάτων in unam notionem conjungenda et subjectum enunciationis existimanda esse. Atque ego quidem improbo Popponis illam de subjecto sententiam, quum necessitas nulla sit, ut intelligatur ἡ ἀνάστασις; multo enim commodius junguntur haec: δεινὸν οὖν ἦν —, ὅτι-ἀπεχώρουν, atque id praeferam etiam Jacobsii rationi quamquam doctae illi et haud improbabili. Sed illud miror, quod neuter eorum explicavit vim ac sententiam formulae καθ' ἕν. Nam Baueri interpretationem nullo scriptorum usu comprobari manifestum est; Porti autem illam: non tantum si quis singula spectet, displicere sibi pronunciaverat Bauerus.

Habet autem ea formula duas significationes, alteram alteri contrariam, quarum ea, quae frequentiore usu est, placuit Porto, ut sit: si quis singula spectet; altera vero rarior haec est, quam ego sic explico: Acerba igitur res erat, non tantum si in unum contracta rerum gestarum summa spectetur. Atque hujus quidem significationis vulgaria exempla haec sunt, quae habet Thuc. lib. III, cap. 10. καθ' ἓν γενόμενοι. Jb. cap. 11. ναυτικὸν-καθ' ἓν γενομενον. Lib. VIII, cap. 46. γενομένης καθ' ἓν τῆς ἐς γῆν τε καὶ θάλασσαν ἀρχῆς. Xen. hist. gr. V, 2, 16. καθ' ἓν εἶναι. Jb. III, 4, 27. Contra rarius est, alia verba addi, cujus generis in ind. ad Xenoph. de Rep. Lacedd. v. εἷς haec protuli exempla ad ejus libri cap.

IV, 5. ὅπως καθ' ἕνα ἀρήξουσι τῇ πόλει παντὶ σθενει. Xenoph. hist. gr. V, 2, 7. ἔπεμπον αὐτοῖς οἱ Λακεδαιμόνιοι οὐ καθ' ἕνα, ἀλλὰ κατὰ κώμην ἑκάστην ξεναγόν. Plat. Legg. IV, p. 708. d. τὸ δὲ συμπνεῦσαι καὶ καθάπερ ἵππων ζεῦγος καθ' ἕνα εἰς ταὐτὸν τὸ λεγόμενον ξυμφυσῆσαι χρόνου πολλοῦ καὶ παγχαλεπόν. Jb. V, p. 739. d. ἐπαινεῖν καὶ ψέγειν καθ' ἓν ὅτι μάλιστα ξύμπαντας. Hanc igitur hujus formulae explicationem Thucydidis loco adhibendam duco; atque id fieri non solum aptissime sed etiam necessario, satis declarant ea quae sequuntur, in quibus non in universum exercitui totique etiam reipublicae, sed unicuique militi quanta illa quamque miseranda calamitas acciderit, verbis gravissimis ostenditur.

Lib. VIII, cap. 28. ἀπεκομίσθη δὲ πάλιν κατὰ πόλεις καὶ ὁ ἀπὸ τῶν νεῶν πεζός, ὃς ἐπὶ τὸν Ἑλλήσποντον ἐμέλλησεν ἰέναι. Multis modis hic locus exercuit interpretes, et postremo Poppo, magis puto quod desperaret verum inveniri posse quam quod a se inventum crederet, negavit νεῶν vocem sinceram esse, proinde adhibita adeo summa violentia verba ἀπὸ τῶν νεῶν ex scholio ad τὸν ἑαυτοῦ στρατόν appicto in falsum locum irrepsisse statuit. Reliquorum vero interpretum rationes referre nihil opus est; neque enim dubitatur, quin pedestris ille exercitus idem sit, de quo antea cap. 22. narratur: ὁ πεζὸς ἅμα Πελοποννησίων τε τῶν παρόντων καὶ τῶν αὐτόθεν ξυμμάχων παρῄει ἐπὶ Κλαζομενῶν τε καὶ Κύμης. Sed is ipse exercitus quomodo ὁ ἀπὸ τῶν νεῶν dici possit, nondum a quoquam recte explicatum est; nam id quidem facile apparebat, Peloponnesios navibus advectos esse; erant enim ab Chio insula transmissi, in qua tum belli sedes erat; socios vero αὐτόθεν adscitos non minus apparebat non item navibus esse advectos; utraque

autem exercitus pars ut una appellatione ὁ ἀπὸ τῶν νεῶν πεζός diceretur, fieri non posse visum est. Scilicet in hoc posita erroris causa est, quod non posse ullam exercitus partem ἀπὸ νεῶν dici arbitrati sunt, nisi quae navibus advecta et in terram exposita sit. Quod contra esse, facile constabit, si quis diligenter locos similes comparaverit. Ἀπὸ νεῶν enim vel esse vel fieri dicuntur omnia, quae sunt vel fiunt in terra longe ac separatim ab navibus. Quamobrem quoniam bellum hoc loco terra marique simul gestum narratur, postquam classis re infecta Chium rediit, pedestris quoque exercitus, qui non in classe fuerat, sed separatim ab ea in terra rem gesserat, redisse dicitur, qui quoniam partim ex ipsa continente convenerat, partim ex Chio eo traductus erat, reditus ei partim terrestris partim per mare fuit; sed is communi vocabulo indicatur: ἀπεκομίσθη πάλιν κατὰ πόλεις. Quod autem de usu locutionis ἀπὸ νεῶν dixi, fluxit primum ab ea ἀπό praepositionis significatione, qua res ab altera remota ac separata intelligitur, veluti in his Thucydidis locis lib. I, cap. 7. αἱ δὲ παλαιαὶ (πόλεις) διὰ τὴν ληστείαν-ἀπὸ θαλάσσης μᾶλλον ᾠκίσθησαν. ib. c. 46. πόλις κεῖται ἀπὸ θαλάσσης. II, cap. 80. ἀδυνάτων ὄντων ξυμβοηθεῖν τῶν ἀπὸ θαλάσσης Ἀκαρνάνων. ib. cap. 83. οἱ ἀπὸ θαλάσσης ἄνω Ἀκαρνᾶνες. I, c. 99. ἵνα μὴ ἀπ' οἴκου ὦσι. VI, c. 63. πολὺ ἀπὸ σφῶν ἐφαίνοντο. ib. c. 64. αὐλίζεσθαι ἀπὸ τῶν ὅπλων ἐν τῇ πόλει. Quo exemplo Eubulus dixit ap. Athen. III. p. 108. b. πηδᾷ, χορεύει, πῶλος ὣς ἀπὸ ζυγοῦ· ita enim scribendum est pro ὑπὸ ζυγοῦ, pro quo male Schweighaeuser corrigebat ὑπὸ ζυγῷ. ita enim etiam Eurip. Orest. v. 45. πηδᾷ δρομαῖος πῶλος ὣς ἀπὸ ζυγοῦ. Taceo quod ἀπο eodem modo saepe dicitur translate, ut lib. I, c. 76. ἀπὸ τοῦ ἀνθρωπείου τρόπου. itemque apud alios ἀπο σκόπου et quae sunt similia. Sed maxime id frequen-

tatur de navibus relictis, quum in terra res geritur. Thuc. III, 90. ἔτυχον δὲ δύο φυλαὶ ἐν ταῖς Μυλαῖς ἐνέδραν πεποιημέναι τοῖς ἀπὸ τῶν νεῶν. ib. c. 91. ἐπορεύοντο οἱ ὁπλῖται ἀπὸ τῶν νεῶν πεζῇ ἐς Τάναγραν. IV, c. 25. extr. ἀποβάντες ἀπὸ τῶν νεῶν ἐβοήθουν καὶ κατεδίωξαν τοὺς Μεσσηνίους πάλιν ἐς τὴν πόλιν. VIII, c. 100 extr. καὶ αἱ πᾶσαι νῆες παρῆσαν ἑπτὰ καὶ ἑξήκοντα, ἀφ' ὧν τῷ στρατεύματι παρεσκευάζοντο ὡς κατὰ κράτος - αἱρήσοντες τὴν Ἔρεσον. ib. c. 24. τὸν πρὸς τοὺς Χίους πόλεμον ἀπὸ τῶν νεῶν ἐποιοῦντο. Et ipso hoc cap. 23. paulo ante: τοὺς ἀπὸ τῶν ἑαυτοῦ νεῶν ὁπλίτας πεζῇ παραπέμπει. quod manifestum jam est ita accipi debere ut superiore illo loco lib. III, c. 91. ut si dictum esset: τοὺς ἐκ τῶν ἑαυτοῦ νεῶν ὁπλίτας πεζῇ ἀπὸ τῶν νεῶν παραπέμπει, notissima adhibita prolepsi, de qua et hujus et aliarum praepositionum exempla protulit Poppo Prolegg. I, p. 176 sq. Cf. lib. II, c. 69. ἀναβὰς δὲ στρατιᾷ Ἀθηναίων τῶν ἀπὸ τῶν νεῶν. Ib. c. 102. ἀποβάντες ἐς τὴν μεσόγειαν τετρακοσίοις ὁπλίταις Ἀθηναίων τῶν ἀπὸ τῶν νεῶν. Lib. III, c. 94. οἱ ἀπὸ τῶν τριάκοντα νεῶν Ἀθηναῖοι περὶ Πελοπόννησον ὄντες πρῶτον ἐν Ἐλλομένῳ φρουρούς τινας λοχήσαντες διέφθειραν. Lib. V, c. 3. φθάνουσιν οἱ ἀπὸ τῶν νεῶν ἑλόντες τὴν Τορώνην. Atque ut pronum est ex locis illis unum alterumve vulgari modo interpretari, ita veriorem rationem facile monitus quisque agnoscet. Ceterum quemadmodum ἀπό praepositio crebriorem vulgarem usum habet, ita mirandum non est, quod eodem modo etiam ἀπὸ νεῶν haud raro dicitur, veluti lib. IV, c. 10. c. 14. lib. VI, c. 50. lib. VII, c. 62.

Lib. VIII, cap. 29. extr. παρὰ πέντε ναῦς. Nolo nunc totum hunc locum de stipendii partitione variasque interpretum opiniones pertractare; satis enim est in tam ingrata materia breviter quid mihi videatur

significare. Recte vero exputat Poppo, si quattuor quaeque naves singulos tantum triobolos viritim accipiebant, quintam quamque necessario accepisse binos, sive drachmam. Sed habet hoc aliquam iniquitatem, si in singulis triobolis numerandis semper id quod summae supererat, in unam quintam navem collatum esse statuamus. Quid enim, si forte bellum non quinto aliquo mense finiretur? ita enim fiebat necessario, ut quum vices non per omnes naves permeassent, e quinque quibusque tot naves fraudarentur aliqua stipendii parte, quot menses adhuc de quinque mensibus deerant. Quam ob causam ego potius statuo, terna talenta aequabiliter in quinque quasque naves distributa esse, quo fiebat, ut si ducenti in singulis homines erant, viritim triobolum $1\frac{1}{5}$ sive obolos $3\frac{3}{5}$ acciperent. Quae quidem summa si nimis minuta videbitur, cogitandum est, parum verisimile esse, ut in omnibus navibus plenus fuerit ducentorum hominum numerus; nam etiamsi ponamus eum numerum legitimum ac constantem fuisse, quamquam ne id quidem satis jam constat, semper tamen demendi erunt nonnulli vel mortui vel militiae desertores. Quare si fuerint fere in singulis navibus homines CL, singuli ex his triobolum $1\frac{3}{5}$ sive obolos $4\frac{4}{5}$ habebunt, id quod jam fere sufficere videtur.

Lib. VIII, cap. 78. *τῷ μὲν τριηραρχοῦντι τῷ δὲ ὁπλιτεύοντι.* Adnotavit ad h. l. Scholiasta, *ὁπλιτεύοντι* esse *ἀντὶ τοῦ ὁπλιτικοῦ ἄρχοντι*, scilicet opinor alienum ratus a Thrasyllo, esse eum militem gregarium, maluit ejus dignitatem observare quam linguae graecae usum. Poppo tamen satis habet agnoscere illam verbi *ὁπλιτεύειν* vim insolentiorem; Bloomfieldus vero, ad quem delegat, num forte eum usum exemplis comprobare studuerit, equidem nescio, neque id tamen

arbitror fieri posse. Atque hoc quidem ipsa etiam Thucydidis verba satis ostendunt, non στρατηγόν fuisse Thrasyllum; nam a strategis ipse cum Thrasybulo distinguitur, et legimus eum postea demum strategum creatum esse; vid. c. 76. Quamobrem Scholiasta puto ὁπλιτεύοντι voluit esse pro ταξιαρχοῦντι, neque tamen ullo modo intelligi poterit, cur in tam vulgaribus rei militaris vocabulis a communi consuetudine dicendi Thucydides discesserit, qui alibi semper, ut decebat rerum peritum imperatorem, diligenter verborum proprietatem observavit. Quid autem obstat, quominus Thrasyllum tum sine munere in gravi armatura militasse statuamus? Nam si ne hodie quidem exempla desunt hominum nobilium ac potentum, qui in civili exercitu gregariorum locum militum occupaverunt, multo id minus incredibile videri debet in Atheniensi homine. Ceterum ut fieri potuit ut ὁπλίτης esset, ita ut ψιλός esset, fieri non potuit.

Caput III.

De emendationibus quae fiunt dirimendis vocibus et accentu mutando.

Accedo ad eos locos, qui non videntur constare posse nisi adhibita aliqua scripturae mutatione. In quo genere qui vel maxime religiosi sunt et inveteratorum vitiorum tenaces, tantum tamen concedere solent, ut et vocibus dirimendis et mutando accentu impune liceat ab scriptorum librorum auctoritate discedere; quapropter dolendum sane est, quod illa emendandi modestia ac lenitate non omnia tolli possunt vitia, atque adeo pauca tantum; nam in iis quidem scriptoribus, qui multorum jam studiis pertractati sunt, haud facile usquam talis emendationis relicta occasio est, et vero apud Thucydidem non tam mirandum sit quod pauca quam quod aliqua certe ejusmodi exempla repperi. Quid enim? in verbis illis Lib. III, cap. 43. Χρὴ δὲ πρὸς τὰ μέγιστα καὶ ἐν τῷ τοιῷδε ἀξιοῦντι ἡμᾶς περαιτέρω προνοοῦντας λέγειν ὑμῶν τῶν δι' ὀλίγου σκοπούντων. nonne mirandum est, quod nemo vidit scribendum esse ἀξιοῦν τι sejunctis vocibus? At id tamen et certum est et manifestum; vitiosum autem esse quod nunc scribitur ἀξιοῦντι, ne de ipsa jam ejus

vocis significatione dicam, poterat duobus modis intelligi, primum quod τὸ τοιόνδε ἀξιοῦν non potest dici, quamquam id quoque novum videtur esse, deinde quod ἐν τῷ τοιῷδε sic per se intellectum legitur frequentissime, quorum utrumque nunc demonstrabo. Ac de grammatica quidem ratione formulae ἐν τῷ τοιῷδε ἀξιοῦντι nihil dubitant interpretes; non enim intelligunt, intercedere aliquid discriminis inter hoc exemplum et ea multa participiorum, quae neutro genere pro substantivis poni ajunt, de quibus dixerunt Matth. Gr. gr. §. 271, 2. b. Bernhard. Synt. pag. 327. Poppo Prolegg. I. pag. 100 Bloomf. ad Thucyd. III, cap. 10. et alii. Nullum autem inter ea tale est, ut participio additum sit nomen aliquod vel adjectivum vel adjectivi speciem habens. Quam rem verendum est ne nimis levem putent grammatici ac casus potius temeritati tribuant quam certae rationi; licet enim in tali re nimiam quandam usus observandi diligentiam calumniari; licet aliquid sperare de exemplis nondum repertis; atque adeo sunt etiam qui soleant perditos scriptores multos praetexere. A quibus omnibus mea vehementer discrepat opinio. Non enim nego posse aliquam nimiam in hoc genere diligentiam esse; idem tamen illud quoque intelligo, si quando collatis multis vel omnibus exemplis satis demonstratum fuerit, contineri aliquem usum certis quibusdam finibus, ultra quos ille non pertineat, non debere eam usus circumscriptionem vanam fortuitamque videri, quamvis ejus probabiles causae reperiri nequeant. Id enim quando accidit, non usus temeritas sed nostra potius accusanda est debilitas, qui quae causae usum rexerint, sentire non possimus; deesse enim causas legibusque plane arbitrariis et ab ratione alienis usum contineri haud facile unquam concesserim. Quamobrem etsi satis

habere poteram observasse legem illam, quam dixi, in participiis usurpandis perpetuam, tamen ejus legis rationem indagare studui, de qua sic habeto. Verborum notio duobus modis potest substantivi nominis speciem induere; eam enim vim habent et infinitivi et substantiva verbalia. Accedit ad haec tertium illud genus participiorum, quod longe rariore usu est nec pertinet ad multos scriptores praeter Thucydidem. Haec tria igitur quomodo inter se differant, quaerendum est. Atque verbalia quidem substantiva hanc vim habent, ut ipsam alicujus actionis notionem indicent; notio autem actionis non est hoc, quod agitur aliquid; in agendo enim aliqui motus inest qui formam suam finemque in tempore habet; contra notio actionis stabile aliquid ac fixum est non tempore adstrictum nec sub oculos cadens sed sola mentis intentione conceptum ac sempiternum. Infinitivus vero ipsum illum agendi motum indicat, ut agi aliquid aliquo tempore intelligatur; quod quamquam infinite significatur, non tamen nuda ac libera actionis notio est, sed actio, quae aliquo tempore fiat. Denique participium neutro genere positum eo modo, quem nunc tractamus, habet tertiam aliquam ex illarum utraque mixtam ac quasi confusam significationem. Sed superiores illas duas significationes substantivorum verbalium et infinitivorum facile quis intellexerit adeo diversas atque dispares esse, ut eas in unam coire posse neget; quod enim in hominis notione est, non potest idem in agendi motu versari sed est perpetuum atque aeternum. Sed tamen utrumque ita conciliari inter se ac conjungi potest, ut eodem fine et aeternitas notionis coarctetur et agendi subitus motus extendatur et quasi consistat; id enim fit quando actio aliqua certi hominis vel certae rei propria esse dicitur; ita enim simul et aliquid

re vera fieri intelligitur, et ejus tamen notio quoque concipi potest, quia non tempore adstringitur sed vel homine vel re, a quo id fiat. Inest igitur participio notio actionis, quae vel hominis propria sit vel rei, et quae fiat re vera, non quidem certo aliquo tempore, sed quocunque tempore is homo vel ea res id quod agitur agere potest. Quae quum ita sint, tres quodammodo gradus sunt, quibus verbi natura ad substantivi naturam adscendit. Primum enim infinitivus potest ille quidem nominis loco poni addito etiam articulo, neque is tamen tamquam nomen verum vel adjectivo potest accuratius definiri vel genitivo, sed qualitas actionis adverbio, auctor autem accusativo indicatur. Deinceps participium quoniam ipsam actionis notionem exprimit, quae alicujus propria est, genitivum quidem adsciscere potest; idem tamen quoniam actionem exprimit, quae fit re vera, adjectivum adsciscere non potest, sed qualitas actionis, quae ei inest, describitur adverbio. Denique substantivum verbale quoniam et notionem actionis significat nec actionis ejus quae fiat re vera, potest et adjectivo et genitivo definiri.

Satis mihi multa verba fecisse videor, cur rationem non habeat dicere τὸ τοιόνδε ἀξιοῦν, de quo sive recte exposui sive falso, loquendi certe usu observatio mea confirmatur egregie. Sed ne mihi obstare videantur exempla quaedam ex iis, quae proferam, duo ante monenda sunt; nam quod supra semper agendi verbo usus sum, factum id est ob formae commoditatem; alioquin enim esse verbo usurus eram, ut quidquid esse vel activa vel passiva voce dici potest, significarem. Praeterea si quando participio additur aliud participium condicionis alicujus significandae causa, id quamquam speciem adjectivi habet, non tamen

eandem relationem habere facile intelligitur. Nam si licuit Thucydidi dicere I, cap. 36. *γνώτω τὸ μὲν δεδιὸς αὐτοῦ ἰσχὺν ἔχον τοὺς ἐναντίους μᾶλλον φοβῆσον· τὸ δὲ θαρσοῦν μὴ δεξαμένου ἀσθενὲς ὂν πρὸς ἰσχύοντας τοὺς ἐχθροὺς ἀδεέστερον ἐσόμενον.* **non ideo etiam dicere licuit** *τὸ ἰσχὺν ἔχον δεδιός* **ea quidem sententia, ut ipsa verbi notio, quae est in** *δεδιὸς*, **accuratius definiatur, veluti si dicas:** *τὸ ἰσχυρῶς δεδιός.* **Jam vide reliqua. Lib. I, cap. 84.** *τὸ βραδὺ καὶ μέλλον ὃ μέμφονται μάλιστα ἡμῶν μὴ αἰσχύνεσθε.* **ib. cap. 142.** *ἐν τῷ μὴ μελετῶντι ἀξυνετώτεροι ἔσονται.* **Lib. II, cap. 87.** *Οὐδὲ δίκαιον τῆς γνώμης τὸ μὴ κατὰ κράτος νικηθέν, ἔχον δέ τινα ἐν αὐτῷ ἀντιλογίαν, τῆς ξυμφορᾶς τῷ ἀποβάντι ἀμβλύνεσθαι.* **Lib. III, cap. 10.** *ἐν τῷ διαλλάσσοντι τῆς γνώμης.* **quam locutionem quum aliis locis imitatus est Procopius, quos jam indicavit Bloomfieldus, tum etiam his hist. arc. cap. 15. pag. 116. ed. Orell.** *ἐν τούτοις μὲν οὖν τῆς τε γνώμης αὐτοῖς καὶ τῆς διαίτης τὸ διαλλάσσον ἐφαίνετο.* **et ib. cap. 12, pag. 96.** *τὰ γὰρ δαιμόνια τῶν ἀνθρωπείων ξυμβαίνει πολλῷ τῷ διαλλάσσοντι διακεκρίσθαι.* **in quo quod additum est** *πολλῷ* **adjectivum, neque male factum esse quisquam putabit, neque repugnare id nostrae sententiae statuet. Adde Thuc. lib. IV, cap. 108.** *διὰ τὸ ἡδονὴν ἔχον.* **Lib. VI, cap. 24.** *οἱ δὲ τὸ ἐπιθυμοῦν τοῦ πλοῦ οὐκ ἐξηρέθησαν.* **Lib. V, cap. 9.** *τοῦ ὑπαπιέναι πλέον ἢ τοῦ μένοντος — τὴν διάνοιαν ἔχουσι.* **Quo loco non quadam variandae orationis libidine sed subtili quadam verissimaque ratione** *τοῦ μένοντος* **scriptum esse pro** *τοῦ μένειν*, **facile jam arbitror e superioribus intelligi; est enim fere idem ac si latine dicas: m a g i s u t e v a d a n t q u a m u t m a n e n t e s s i n t c o g i t a n t. Huc referas etiam verba ib. paulo ante scripta:** *τὴν ἐπιχείρησιν ποιεῖται μὴ ἀπὸ τοῦ προφανοῦς*

μᾶλλον καὶ ἀντιπαραταχθέντος ἢ ἐκ τοῦ πρὸς τὸ παρὸν ξυμφέροντος. **Lib. I, cap. 90.** τὸ μὲν βουλόμενον καὶ ὕποπτον τῆς γνώμης οὐ δηλοῦντες. **Lib. II, cap. 59.** ἀπαγαγὼν τὸ ὀργιζόμενον τῆς γνώμης. **ib. cap. 63.** τῆς πόλεως τῷ τιμωμένῳ ἀπὸ τοῦ ἄρχειν — βοηθεῖν. **Sed haec hactenus. Quod sequitur, de** ἐν τῷ τοιῷδε **locutione res manifesta est; ea enim legitur in hac ipsa Diodoti oratione cap. 42; itemque lib. II, cap. 36. lib. V, cap. 88. Cf. Xenoph. Cyrop. III, 3, 35. ib. 38. Pausan. IV, 11, 7. Similiter dicitur** ἐν τῷ τοιούτῳ **ap. Thuc. lib. III, cap. 81. lib. IV, cap. 56. lib. VII, cap. 81. et alio loco lib. VI aut VII legitur** ἐν τῷ τοιούτῳ τοῦ καιροῦ. **Cf. Xenoph. Cyrop. I, 4, 22. III, 3, 58. Anab. V, 8, 20. de re eq. IX, 11. de rep. Lacedd. XI, 9. Nec alienum est conferre illud Thucyd. lib. IV, cap. 10.** ἐν τῇ τοιᾷδε ἀνάγκῃ.

Denique illud superest, ut de sententia dicam. Nolo autem referre quot quibusque modis illud ἐν τῷ τοιῷδε ἀξιοῦντι **interpretati sint, donec nunc plerique omnes in eo convenerunt, ut auctoribus Stephano, Dukero, Kistemakero exponant fere verbis his: in illa tali existimatione vestra de rhetoribus, maligna et invidiosa. Nam etsi satis jam effectum arbitror, ut haec sententia si vel maxime apta sit, probari non debere videatur ob reliquas causas, tamen hoc quoque accedit in cumulum, quod etiam minus apta est. Cum enim Diodotus studeat conciliare sibi audientium animos, antea occurrit sinistris suspicionibus, cum quibus audiri dicit solere et benivolam orationem et perfidam. Remota autem illa de dolo malo suspicione alteram nunc aggreditur de inconsideratis oratorum consiliis; meditatos enim accedere ait oratores re diligentius considerata quam auditores, qui brevissima rei cujusque aestimatione de-**

fungantur, praesertim quum illis dicendi, non autem his aestimandi sit ratio reddenda ac proposita poena. Quid vero? num forte ideo oratores sapientius res futuras prospicient, quod sciunt infestos sibi ac suspiciosos audientium animos fore? Id enim si reputant ἐν τῷ τοιῷδε ἀξιοῦντι sibi dicendum fore, multo magis de decipiendis et circumveniendis auditorum animis cogitabunt quam de eo, ut sint περαιτέρω προνοοῦντες. Sed hoc incommodum ita tolli poterit, ut καί particula, id quod ego quoque in mea ratione facio, non pro et accipiatur sed pro etiam sive vel. Restat tamen alterum; facile enim sentiri arbitror, non commode dici illud: χρὴ δὲ περαιτέρω προνοοῦντας λέγειν, quia non potest sic in universum χρῆναι dici id, quod non tam pendet a voluntate hominum quam a facultate. Contra hoc dicitur rectissime et aequissime: oportet nos, quum summa commoda aguntur, vel etiam in isto vestro more hoc a nobis ipsos exigere, ut aliquanto longius prospicientes verba faciamus —. Et in tali re, quum quis ipse ab se aliquid exigit vel id sibi faciendum putat tamquam justum ac debitum, haud raro ἀξιοῦν dicitur, veluti paulo post cap. 46. δεῖ τὴν φυλακὴν μὴ ἀπὸ τῶν νόμων τῆς δεινότητος ἀξιοῦν ποιεῖσθαι, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἔργων τῆς ἐπιμελείας. Item lib. I, cap. 74. ἠξιώσαμεν ἐκλιπόντες τὴν πόλιν μηδ' ὣς τὸ τῶν περιλοίπων ξυμμάχων κοινὸν προλιπεῖν. Cf. lib. I, cap. 22. 42. 122. lib. II, cap. 11. 42. 43. bis. cap. 53. 64. lib. III, cap. 37. 38. 39. 40. bis. cap. 55. 61. 66. lib. IV, cap. 83. 122. lib. VII, cap. 5. 15. et alibi. Denique τί pronomen vix opus est confirmare exemplis; vid. tamen lib. II, cap. 89. τῷ δὲ ἑκάτεροί τι ἐμπειρότεροι εἶναι θρασύτεροί ἐσμεν.

Lib. III, cap. 78. καὶ οἱ μὲν Κερκυραῖοι κακῶς τε καὶ κατ' ὀλίγας προσπίπτοντες ἐταλαιπω-

ϱοῦντο καϑ' αὐτούς. **Postremas hujus sententiae voces varie interpretantur; Portus sic: soli graviter laborabant. Valla sic: A se ipsis profligabantur. Stephanus vero, cui Hobb. Heilm. Kistem. Bloomf. assensi sunt, sic: sua acie laborabant. Contra Arnoldus, cui deinde Bloomf. et Poppo accesserunt, novam protulit explicationem hanc: in mala conditione erant per se ipsos, id est, eorum ipsorum perturbatio propemodum eos devicerat antequam pugnam commiserunt. Fuit ea fere Vallae sententia, quam ut comprobaret, locos attulit Arnoldus hos: Lib. IV, cap. 71.** *ἡ πόλις ἐν μάχῃ καϑ' αὑτὴν οὖσα.* **ib. cap. 64.** *πολεμήσομέν τε - καὶ ξυγχωϱησόμεϑά γε πάλιν καϑ' ἡμᾶς αὐτοὺς λόγοις κοινοῖς χϱώμενοι.* **ib. cap. 65.** *οἱ Σικελιῶται αὐτοὶ μὲν κατὰ σφᾶς αὐτοὺς ξυνηνέχϑησαν γνώμῃ* **—. Lib. VI, cap. 13.** *ψηφίζεσϑαι τοὺς μὲν Σικελιώτας - τὰ αὑτῶν νεμομένους καϑ' αὑτοὺς καὶ ξυμφέϱεσϑαι.* **His alia etiam similia exempla addi possunt, neque tamen efficiatur, quod voluit Arnoldus, veluti lib. II, cap. 88.** *τὸ πλῆϑος τῶν νεῶν κατὰ σφᾶς αὐτοὺς ξυνιστάμενοι ἐφοβοῦντο.* **Lib. I, cap. 79.** *ἐβουλεύοντο κατὰ σφᾶς αὐτούς.* **Lib. IV, cap. 38.** *καϑ' ἑαυτοὺς βουλευσάμενοι.* **Lib. II, cap. 99.** *καὶ ἄλλα ἔϑνη, ἃ ξύμμαχα μέν ἐστι τούτοις, βασιλείας δ' ἔχει καϑ' αὑτά.* **Lib. III, cap. 39.** *μετὰ τῶν πολεμιωτάτων ἡμᾶς διαφϑεῖϱαι - δεινότεϱόν ἐστιν, ἢ εἰ καϑ' αὑτοὺς δύναμιν κτώμενοι ἀντεπολέμησαν.* **Lib. IV, cap. 64. extr.** *ἐς τὸ ἔπειτα καϑ' ἡμᾶς αὐτοὺς ἐλευϑέϱαν νεμούμεϑα (τὴν Σικελίαν).* **Lib. V, cap. 112.** *οἱ μὲν Ἀϑηναῖοι μετεχώϱησαν ἐκ τῶν λόγων· οἱ δὲ Μήλιοι κατὰ σφᾶς αὐτοὺς γενόμενοι —.* **Lib. VI, cap. 16.** *ἐν τῷ κατ' αὑτοὺς βίῳ.* **ib. cap. 77. extr. Lib. VII, cap. 28. Lib. VIII, cap. 78. Eodem modo dicitur** *ἐν σφίσιν αὐτοῖς* **et** *αὐτοὶ ἐπὶ σφῶν αὐ-*

τῶν lib. VIII, cap. 63. Scilicet haec est hujus formulae in omnibus locis vis, ut quod plures homines soli inter se et in vicem faciunt significetur, id quod nullo modo cadit in Corcyraeos; quos si narraret hic Thucydides, ut paulo ante narravit, pugnare ipsos inter se, aut ipsos sibi inter se impedimento ac perturbationi esse, posset sane καϑ'αὐτούς vel κατὰ σφᾶς αὐτούς dici. Nunc vero non hoc narrat, sed illud potius, coepisse laborare Corcyraeos ac premi ab hostibus propterea quod male impetum facerent et paucis semper navibus, ut quaeque adveniebat, non autem omnibus conjunctis. Quamobrem relinquenda est illa Arnoldi explicatio, quae neque exemplis satis comprobatur neque huic loco apta est. Redeundum vero videtur esse ad rationem Stephani, ut interpretemur: in suo cornu, in sua parte laborabant; in quam sententiam ni fallor dirempta voce ἐταλαιπωροῦντο scribi oportet sic: ἐταλαιπώρουν τὸ καϑ' αὐτούς. Nam ut quod levius est praecipiam, ταλαιπωρεῖν etiam activa forma apud Thucydidem dicitur, veluti Lib. I, cap. 99. cap. 134. lib. II, cap. 101. V, cap. 57. 73. 74. VII, cap. 16. 27. VIII, cap. 63. extr. Cf. ἐπιταλαιπωρεῖν lib. I, cap. 123. προσταλαιπωρεῖν lib. II, cap. 53. de passiva vid. III, cap. 3. IV, cap. 27. 35. VII, cap. 28. 82. VIII, cap. 48. quibus exemplis comparatis haud facile dixeris, utra huic loco forma aptior sit. In eadem tamen re dixit Pausan. IV, 8, 10. τὸ δὲ ἕτερον κέρας τοῖς Μεσσηνίοις ἐταλαιπώρει. Sed τὸ καϑ' αὐτοὺς quod scribo, ob constantem facio Thucydidis usum. Ut enim, ubi articulus nullus accedit ante καϑ' αὐτούς, una significatio ea est, quam supra exposui, ita accedente articulo una rursus significatio est, ut id quod prope aliquem vel in alicujus parte est intelligatur. Ac de acie quidem quum

agitur non solum intelligitur pars ea aciei, in qua quis ipse versatur, sed frequentius etiam ea adversae aciei pars, cui quis in sua acie oppositus est. Ex hoc genere illud est lib. I, cap. 62. ἔτρεψαν τὸ καϑ' ἑαυτούς. Item lib. III, cap. 108. οἱ κατὰ τὸ δεξιὸν κέρας ἐνίκων τὸ καϑ' ἑαυτούς. Lib. VI, cap. 70. ὠσαμένων δὲ τῶν Ἀργείων πρῶτον τὸ εὐώνυμον κέρας τῶν Συρακοσίων καὶ μετ' αὐτοὺς τῶν Ἀϑηναίων τὸ κατὰ σφᾶς αὐτούς — non κέρας, sed τὸ μέσον; vid. ib. cap. 67. Lib. VII, cap. 6. κέρας - ὅπερ κατ' αὐτοὺς ἦν. Lib. VI, cap. 102. ἀντετάξαντο πρὸς τοὺς κατὰ σφᾶς Ἀϑηναίους. Lib. VIII, cap. 25. τοὺς κατὰ σφᾶς Πελοποννησίους οἱ Ἀϑηναῖοι ἐνίκων. Lib. I, cap. 48. εὐώνυμον δὲ κέρας αὐτοὶ οἱ Κορίνϑιοι κατὰ τοὺς Ἀϑηναίους εἶχον. Lib. IV, cap. 43. extr. ὁ Λυκόφρων ὢν κατὰ τὸ εὐώνυμον τῶν Ἀϑηναίων ἠμύνετο. Lib. V, cap. 71. περιίσχουσι κατὰ τὸ τῶν ἐναντίων εὐώνυμον ἀμφότεροι τῷ δεξιῷ. et paulo post: νομίζων τὸ κατὰ Μαντινέας βεβαιότερον τετάξεσϑαι. Cf. lib. III, cap. 107 extr. lib. IV, cap. 135. Pausan. IV, 7, 8. 8, 9. Neque tamen raro eodem modo significatur ea pars, in qua quis ipse est, sive de acie agatur sive de aliis locis. Vid. lib. II, cap. 11. χρὴ καὶ πόλεως ἑκάστης ἡγεμόνα καὶ στρατιώτην τὸ καϑ' αὑτὸν ἀεὶ προςδέχεσϑαι ἐς κίνδυνόν τινα ἥξειν. ib. cap. 87. ϑαρσοῦντες οὖν καὶ κυβερνῆται καὶ ναῦται τὸ καϑ' ἑαυτὸν ἕκαστος ἕπεσϑε. Cum quibus locis conferri potest similis Salustii Jug. cap. 60. Sed praeterea Thuc. lib. VII, cap. 44. τὸ καϑ' ἑαυτὸν ἕκαστος μόλις οἶδεν. lib. III, cap. 108. εἶδον τὸ κατ' Εὐρύλοχον διαφϑειρόμενον. lib. VIII, cap. 105. τὰς κατὰ τὸ νικῆσαν τῶν Πελοποννησίων μέρος ναῦς. Atque ubi non de acie agitur, lib. VI, cap. 88, 3. καὶ οἱ μὲν Συρακόσιοι τὰ καϑ' ἑαυτοὺς ἐξηρτύοντο ἐς τὸν πόλεμον. Lib. II, cap. 60. κα-

λῶς φερόμενος ἀνὴρ τὸ καϑ' ἑαυτόν. Cf. VII, cap. 69. Haec quidem sunt maxime similia illi quod repono ἐταλαιπώρουν τὸ καϑ' ἑαυτούς. Addam tamen etiam reliqua ejus generis. Lib. VII, cap. 78. τοῖς καϑ' ἑαυτὸν τοιαῦτα λέγων. Lib. VI, cap. 100. τὴν καϑ' αὐτοὺς περιτείχισιν ἐπειγόμενοι. Lib. I, cap. 117. τῆς ϑαλάσσης τῆς καϑ' ἑαυτοὺς ἐκράτησαν. Ib. cap. 54. τὰ ναυάγια ἀνείλοντο τὰ κατὰ σφᾶς ἐξενεχϑέντα ὑπὸ τοῦ ῥοῦ. et paulo post: ἀνελόμενοι τὰ κατὰ σφᾶς αὐτοὺς ναυάγια. Ib. cap. 77. extr. ἄμικτα γὰρ τὰ καϑ' ὑμᾶς αὐτοὺς νόμιμα τοῖς ἄλλοις ἔχετε. De temporis vero significatione non opus est congerere talia ut lib. I, cap. 138. extr. λαμπροτάτους γενομένους τῶν καϑ' ἑαυτοὺς Ἑλλήνων. Satis jam demonstratum esse arbitror, qualis sit in hujusmodi locutionibus usus κατά praepositionis, atque apparere existimo, non posse καϑ' αὐτούς sed debere τὸ καϑ' αὐτούς scribi. Quod si quis vero addi malit τό articulum, non mutato verbo ἐταλαιπωροῦντο, haud minus id equidem probaverim.

Lib. V. cap. 97. Δικαιώματι γὰρ οὐδετέρους ἐλλείπειν ἡγοῦνται. Recte mihi videbatur offendere Poppo in dativo δικαιώματι, quem insolenter positum pro genitivo ait, neque tamen corrigere audet, sed ita defendere studet, ut ἐλλείπειν sit pro ἐλασσοῦσϑαι dictum, structura vero eadem quae est lib. VI, cap. 69. οὐ γὰρ δὴ προϑυμίᾳ ἐλλιπεῖς ἦσαν οὐδὲ τόλμῃ. Quae ut Popponi non suffecisse videntur, ita mihi quoque non sufficiunt; quamobrem facillima mutatione scribendum conjiciebam δικαίωμά τι γάρ, in quo non solum structurae insolentiam tolli judicabam sed etiam addi aliquam elegantiam in pronomine τί positam, quod sic positum aptissimum et jucundissimum quendam ironiae colorem orationi inducere videtur et modestam dubitationem de justitia argumenti

quo suam quisque causam defendere studet, quasi dicas: argumentum quidem aliquod certe, qualecunque illud sit, utrisque superesse arbitrantur. Quae conjectura quamquam nunc quoque haud improbabilis videtur, non tamen tantum apud me valet, ut non praeferam interpretationem probabilem. Atque videtur mihi ἐλλείπειν non eo sensu dictum, quo voluit Poppo, sed alio, in quo legitimus est dativi usus. Est enim fere contrarium ejus quod est πλεονάζειν vel περιγίγνεσθαι, ita quidem, ut res, quae dativo ponitur, non ea sit, in qua aliquis defectus cernatur, qui major minorve esse possit, sed ea potius, quae prout tota aut adest alicui aut deest, facit ut altero ille aut superior aut inferior sit. Qua in re mathematicum quodammodo dixeris dativi usum esse; nam ita proprie Plato locutus est Men. pag. 87. a. εἰ μέν ἐστι τοῦτο τὸ χωρίον τοιοῦτον, οἷον παρὰ τὴν δοθεῖσαν αὐτοῦ γραμμὴν παρατείναντα ἐλλείπειν τοιούτῳ χωρίῳ οἷον ἂν αὐτὸ τὸ παρατεταμένον ᾖ. Ad quem locum Wexius comparavit Euclid. Elem. VI, propos. 27 et 28. Quare haec est horum verborum sententia: utrorumque pariter justam causam esse existimant et neutros alteris eo inferiores, quod probabili defensione careant. Ceterum illud animadverti velim, quam causam habuerit Thucydides, cur deinde non δυνάμει diceret sed κατὰ δύναμιν; neque enim, id quod multi opinantur, sine idonea ratione structuram variare solet. Manifestum autem est, non eodem modo δικαιώματι fieri discrimen inter homines, quo fit δυνάμει; illud enim aut adest aut deest; haec contra alteris major, alteris minor est; eaque causa fuit, cur κατὰ δύναμιν diceret. Item lib. I, cap. 18. in illo: ἴσχυον γὰρ οἱ μὲν κατὰ γῆν οἱ δὲ ναυσί· minus recte in altero membro dixisset κατὰ θάλασσαν.

Superest locus unus, quem solo accentu mutato corrigo lib. III, cap. 3. extr. οἱ δὲ οὔτε ἐς τὸν Μαλόεντα ἐξῆλθον, τά τε ἄλλα τῶν τειχῶν καὶ λιμένων πέρι τὰ ἡμιτέλεστα φραξάμενοι ἐφύλασσον. De quo loco quae fuerint olim doctorum virorum opiniones, non recensebo; nunc Haackio auctore Bloomfieldus, Arnoldus, Poppo servato quod vulgatum est περὶ τὰ ἡμ. primum quidem τὰ ἄλλα per se accipi statuunt, ut si dicas cetera laetus; deinde genitivos τῶν τειχῶν καὶ λιμένων pendere a vocibus τὰ ἡμιτέλεστα; ἐφύλασσον esse pro φυλακὰς ἐποιοῦντο sine casu dictum; denique, id quod addidit Bloomf., ad φραξάμενοι suppleri posse αὐτά. Quae omnia quam sint incommoda et molesta, non arbitror obscurum esse; cur enim accusativo non uteretur Thucydides, quem pariter et φραξάμενοι et ἐφύλασσον verba desiderant? Accedit quod sententia claudicat; nam profecto non circa ea modo custodias egerunt Mytilenaei, quorum nondum perfecta munitio erat, sed reliqua quoque custodiri necesse erat; atque id ita esse declarat etiam ipsa sententiae forma; in qua per οὔτε et τέ particulas duo membra distinguuntur; quibus omnia comprehensa sunt quae fecerunt Mytilenaei, quo sibi ab Atheniensibus caverent. Ac primum quidem illud est, quod urbe non excesserunt ad eum locum, ubi iis insidiae struebantur; quamobrem reliqua omnia sunt, quibus in urbe saluti suae prospexerunt, quasi dixisset Thucydides: καὶ τὴν ἐς τὸν Μαλόεντα ἔξοδον ἐφυλάξαντο, τά τε ἄλλα ἐφύλασσον. Ut autem ἐφύλασσον ad omnia, ita φραξάμενοι solum ad τὰ ἡμιτέλεστα spectat. Denique voces τῶν τειχῶν καὶ λιμένων πέρι sunt quasi quoddam appositionis genus, quo exponatur illud τὰ ἄλλα; atque id rectissime fit non per accusativos τὰ τείχη καὶ λιμένας, quia non ipsa tantum moenia et portus

custodiebantur, sed omnia quae ad ea pertinebant munimenta et opera. Tali modo saepius Thucydides primum rem universam appellat, deinde eandem per partes considerat, non quo eam accurate dividat, sed ut significet quae in ea praecipue reputari velit. Vid. lib. II, cap. 45. *ἧς ἂν (γυναικὸς) ἐπ' ἐλάχιστον ἀρετῆς πέρι ἢ ψόγου ἐν τοῖς ἄρσεσι κλέος ᾖ.* **Ib. cap. 51.** *σῶμά τε αὔταρκες ὂν οὐδὲν διεφάνη πρὸς αὐτὸ ἰσχύος πέρι ἢ ἀσθενείας.* **Ib. cap. 62.** *τόδε ὅ μοι δοκεῖτε οὐ πώποτε ἐνθυμηθῆναι ὑπάρχον ὑμῖν μεγέθους πέρι ἐς τὴν ἀρχήν.* **Ib. cap. 70.** *ἄλλα τε πολλὰ ἐπεγεγένητο αὐτόθι ἤδη βρώσεως πέρι ἀναγκαίας καί τινες καὶ ἀλλήλων ἐγέγευντο.* **Lib. IV, cap. 101.** *ὡς αὐτῷ τὰ περὶ τὰς Σίφας τῆς προδοσίας πέρι οὐ προὐχώρησεν.* **Ib. cap. 132.** *ἔνδηλόν τι ποιεῖν τοῖς Ἀθηναίοις βεβαιότητος πέρι.*

Caput IV.

De emendationibus quae fiunt vocibus transponendis.

Nescio quo meo fato quove naturae vel vicio vel beneficio evenire mihi statuam, quod haud raro in eas incido emendationes, quae transponendis vocibus fiunt. Quod genus quamquam neque praecipuo quodam studio amplexus sum neque quaero de industria, tamen reperio et facillime et fortasse justo frequentius. Sed tamen quas adhuc publice proposui ejus generis emendationes, earum nondum poenituit, ac video etiam vehementerque gaudeo eas quidem, quae ad Vellejum Paterculum pertinebant, comprobatas ac receptas nunc esse a Kritzio viro doctissimo mihique amicissimo, qui nuper Vellejum egregie perpolitum edidit. Sed quum in edendo Xenophontis libro de Rep. Lacedd. sex locis transpositione utendum judicassem, idem tamen in alio loco falsissimam quandam Weiskii et Schneideri transpositionem summo jure improbassem, ridicula sane res accidit, ut is qui nuper Schneiderianam editionem repetivit, oratione in admonentis gravitatem composita occineret mihi illud: quis tulerit Gracchos de seditione loquentes, atque quasi in meo capite de universi hominum generis moribus

ingemiscens communem etiam adderet sententiam: quod ipsi nobis facile concedimus, idem saepe in aliis aegre ferimus; melius ille haud dubie facturus, si de ipsa re argumentisque a me prolatis quaerere diligenter voluisset, non autem satis habuisset provocare ad Meierum virum praestantissimum, cui ego multa multis nominibus debeo; qui quum in act. litt. Hal. a. 1834. Nr. 141 sq. mei libri censuram ageret, comprobatis duabus ex meis transpositionibus reliquas improbavit argumentis motus ejusmodi, ut mihi non persuaderet. Sed de Xenophontis quidem locis nunc non agam; praefanda autem illa duxi, ne quis in posterum adeo vel injuste vel leviter judicet, ut me meis transpositionibus nimium delectari, aliorum omnes improbare opinetur; neque enim alias in iis aestimandis leges sequendas esse statuo quam in reliquis emendandi generibus. Nunc ad Thucydidem revertor.

Lib. II, cap. 4. *ἐσπίπτουσιν ἐς οἴκημα μέγα, ὃ ἦν τοῦ τείχους καὶ αἱ πλησίον θύραι ἀεφγμέναι ἔτυχον αὐτοῦ, οἰόμενοι πύλας τὰς θύρας τοῦ οἰκήματος εἶναι καὶ ἀντικρὺς δίοδον ἐς τὸ ἔξω.* Plures sunt de hoc loco virorum doctorum dubitationes, quas equidem adeo non sublatas esse a Poppone censeo, ut neque *ὃ ἦν τοῦ τείχους* neque *αἱ πλησίον θύραι* recte dictum existimem. Nam, ut de illo prius dicam, *ἐχόμενον* vocem ad genitivum *τοῦ τείχους* neque addi debere auctore Reiskio, neque intelligi posse cum Gottl. et Bloomf., satis manifestum est. Aliquanto rectius Poppo cum Bauero interpretatur: aedificium erat muri, erat pars muri, *es gehörte zur mauer;* in quam rem Poppo comparat lib. I, cap. 134. *οἴκημα, ὃ ἦν τοῦ ἱεροῦ.* Sed neque interpretatio illa apta est et haec similitudo magis speciosa quam vera; nam *ἱεροῦ* quidem quomodo *οἴκημα* pars sit, facile intelligitur; *τοῦ*

τείχους vero quomodo pars esse possit, non intelligitur, neque Poppo id aedificium quale sibi fingat dixit. Nemo autem tale putabit in muro οἴκημα fuisse, qualia hodie Goslariae ostenduntur non illa ab initio sic structa sed postea demum instituta, quum nullus amplius murorum usus esset. Athenis quoque in muris nullae fuerunt habitationes, sed necessario tempore institutae sunt in turribus. Vid. Thuc. II, cap. 17. Et quod Thucydides memorat lib. VIII, cap. 92. τεῖχος πυλίδας ἔχον καὶ ἐσόδους καὶ ἐπεσαγωγὰς τῶν πολεμίων, id plane singulare est et ab urbis muris diversum, neque id tamen habitationes habebat, sed portas tantum, quibus intrare et arcessi possent hostes. Byzantii quum cives nullo modo adduci possent, ut e cauponis discederent et in muris custodiendis diligentes essent, necessaria calliditate usus Leonidas dux jussit καπηλεῖα ἐπὶ τῶν τειχῶν σκηνοπηγεῖν. Vid. Athen. lib. X, cap. 59. pag. 442. C. cf. Veget. lib. IV, cap. 26. In ejusmodi igitur tentoriis vel taguriolis habitare putandi sunt, qui apud Plut. Philop. cap. 13. dicuntur τοῖς τείχεσιν ἐνοικεῖν. Hic autem et μέγα οἴκημα est, quod habeat januas portarum similes et ita spaciosum, ut haud paucos homines capiat, denique a moenibus aliquo intervallo sejunctum, ut tuto incendi posset; de quo profecto Plataeenses non cogitassent, si id fieri non potuisset citra murorum damnum. Accedit quod erat haec veterum consuetudo, ut a muris aedificia aliquantum distarent, sicuti praecepit jam Philo mechanicus lib. V, pag. 80, lin. 16. ed. Paris. ἀπεχέτω δὲ τὸ τεῖχος ἀπὸ τῶν οἰκιῶν ἑξήκοντα πήχεις, ἵνα ῥᾳδίως ᾖ παραφέρειν (ita scribo e mss. pro περιφέρειν) τοὺς λίθους καὶ πάροδον ἔχῃ τοῖς βοηθοῦσι καὶ ταφρείαν ἔνθεν (fort. ἔσωθεν) ἱκανήν, ἐάν τι δέῃ. Et de fossa quidem testatur etiam Aeneas de obsid. tol. cap.

32 extr. πρὸς δὲ τὸ πέσημα τείχους τάφρον ἔσωθεν ὀρύσσειν, ἵνα μὴ εἰσέλθωσιν, ac saepe etiam murus interior ducitur, quod idem Aeneas ib. praecipit, idque quum multi alii saepe fecerunt, tum ipsi etiam Plataeenses; vid. Thuc. lib. II, cap. 76. cum quo loco utile est conferre quae de tali muro scribit anonymus auctor ineditus de re mil. cap. XI. εἰ δὲ καί τι μέρος τῶν ἐναντίων (scrib. τῶν τειχῶν) ἐῤῥάγη λανθανόντων τῶν ἐναντίων ἡμᾶς διὰ πολλὴν πάντως τῶν πολιορκουμένων ἀμέλειαν, ἀποστάντες ἐφ' ἑκάτερα τοῦ παθόντος τείχους ποιήσομεν διὰ τάχους οἰκοδομήν τινα ἔνδοθεν ἀρχομένην μὲν ἀπὸ τοῦ ὑγιοῦς τείχους θατέρου μέρους, λήγουσαν δὲ ἐπὶ τὸ ἕτερον· τὸ δὲ σχῆμα τοῦ τείχους ἔστω τρίγωνον, μιᾶς λειπούσης πλευρᾶς, ἣν ποιεῖ τὸ πολεμούμενον τεῖχος· ὡς εἴγε καὶ τούτου περιγένοιντο οἱ πολέμιοι, ἀλλ' οὐ πάντως καὶ τοῦ μετ' αὐτὸ περιγενήσονται καινοῦ κτίσματος. Non minus necesse erat distare aliquantum ab aedificiis murum, si is eo modo firmandus erat, quem describit Veget. de re mil. lib. IV, cap. 3. Ex his satis intelligitur non solum aliquam religionis opinionem sed egregiam plane rationem Etruscis in causa fuisse, cur circa murum locum inaugurato consecrarent. Quod si Livii aetate, quum minor esset defendendarum urbium ac Romae maxime sollicitudo, conjungebantur vulgo moenibus aedificia, id quod testatur Liv. lib. I, cap. 44, 4. et si forte plura etiam ejus rei exempla reperiantur, praeter illud Nequini oppiduli, quod e Liv. lib. X, cap. 10, 1. protulit Bloomfieldus, communis tamen plerorumque omnium qualis mos fuerit, dubitari non potest.

Quamobrem verisimile mihi videtur scripsisse Thucydidem transposita voce una sic: ὃ ἦν τοῦ τείχους πλησίον καὶ αἱ θύραι ἀνεῳγμέναι ἔτυχον αὐτοῦ.

Ita intelligere licebit aliquod aedificium prope murum extructum, cujus januae ignotis hominibus portarum speciem praeberent: sed eadem opera altera quoque difficultas tollitur, quae est in verbis αἱ πλησίον θύραι de quibus Poppo tacuit. Benedictus vero anteriores domicilii januas interpretatus est, quem Haackius quamquam reprehendit, non tamen multum diversam rationem sequitur; intelligit enim januas propinquas, quas tamen in adversa aedificii parte fuisse concedit, id quod voluit etiam Benedictus. Ceterum necesse est non propinquas intelligere januas sed adversas, quia quos jam dictum est incidisse in aliquod aedificium, eos deinde dicere januas propinquas habuisse, absurdi nescio quid habet; praeterea si propinquas januas ei loco intelligas, unde veniebant Thebani, illud rursus mirum et incredibile est, quod non ipsa domus, sed ejus janua propinqua fuisse dicitur; nec sane intelligitur, quid possit illis hominibus sive propinquum sive non propinquum haberi, qui viarum ignari pererrata tota urbe incidunt denique in domum exitus non habentem. Haec perspexisse puto Bloomfieldum, qui πλησίον delendum judicaverit quippe ex marg. illatum, quum adscriptum esset explicandi causa genitivi τοῦ τείχους. Mihi probabilius videtur transponere πλησίον quam plane ejicere. Similiter breviores quasdam voces tribus aliis locis transponendas censeo; nam in illis

lib. I, cap. 79. καὶ τῶν μὲν πλεόνων ἐπὶ τὸ αὐτὸ αἱ γνῶμαι ἔφερον, ἀδικεῖν τε τοὺς Ἀθηναίους ἤδη καὶ πολεμητέα εἶναι ἐν τάχει. Thucydides videtur scripsisse: ἀδικεῖν τε τοὺς Ἀθηναίους καὶ ἤδη π. εἶναι ἐν τάχει. Ad ἀδικεῖν enim si referatur ἤδη, ita hoc dictum sit, quasi nunc jam coeperint Athenienses ἀδικεῖν, neque id antea jam fecerint. Non autem narratur

illud sed est judicum sententia, quemadmodum quum alibi saepe dicitur ἀδικεῖν, tam in eadem re cap. 67. et bis cap. 87. et cap. 118. itemque in Pausaniae causa cap. 128. Cf. lib. III, cap. 48 lib. V, cap. 82. ἔγνωσαν ἀδικεῖν τοὺς ἐν τῇ πόλει. Est enim damnandi formula. Vid. Xenoph. Memor. init. Intptt. ad Thuc. III, cap. 65. et al. Praeterea aptissime ἤδη cum sequentibus conjungitur. Cf. lib. VII, cap. 49. ὅτι τάχιστα ἤδη ἐξανίστασθαι, de quo loco paulo post agetur. Nec profecto adhiberi defendendae scripturae vulgatae poterit locus ille lib. V, cap. 30. παραβήσεσθαί τε ἔφασαν αὐτοὺς τοὺς ὅρκους καὶ ἤδη ἀδικεῖν, ὅτι οὐ δέχονται τὰς Ἀθηναίων σπονδάς. Ibi enim de criminibus duobus agitur, quorum alterum commissuros esse Corinthios ajunt Lacedaemonii, alterum jam nunc commissum esse. Et lib. V, 49. in his εἰ ἀδικεῖν γε ἤδη ἐνόμιζον αὐτούς. manifestum est ἤδη esse jam tum, et conjungi cum ἐνόμιζον. Ceterum similiter καί particulam transponendam statuo apud Aeneam de obsid. tol. cap. 38. τάς τε κύνας δεσμεῖν (δεῖ) τὸν καιρὸν τοῦτον· μετὰ γὰρ ὅπλων καὶ θορυβούντων καὶ ἀνθρώπων τρεχόντων κατὰ τὴν πόλιν δι᾽ ἀήθειαν ὁρῶσαι αἱ κύνες ὀχλοῖεν ἂν προσκείμεναι· scribo enim καὶ θορυβούντων ἀνθρώπων καὶ τρεχόντων. quamquam praestare forsitan videatur sic scribere: μετὰ γὰρ ὅπλων καὶ θορύβου τῶν ἀνθρώπων τρεχόντων.

Lib. I, cap. 112. ἀπεχώρησαν ἐπ᾽ οἴκου, καὶ αἱ ἐξ Αἰγύπτου νῆες πάλιν αἱ ἐλθοῦσαι μετ᾽ αὐτῶν. Non arbitror πάλιν particulam eodem modo dici posse, quo aliae quaedam et maxime praepositiones dicuntur, ut quae iis inest loci vel spacii significatio ex sequentis verbi cogitatione quasi praecepta nomini tribuatur. Nam etsi satis constat, πάλιν de reditu dici, non tamen videtur dici posse αἱ πάλιν νῆες de iis quae re-

verterunt. Quamobrem multo minus ita intelligere hoc loco licebit voces illas: *αἱ ἐξ Αἰγύπτου νῆες πάλιν*, et scribendum est *αἱ πάλιν ἐλθοῦσαι*.

Lib. VIII, cap. 92. *ὡς δὲ ἐσηγγέλθη τοῖς τετρακοσίοις, — εὐθὺς πλὴν ὅσοις μὴ βουλομένοις ταῦτα ἦν, ἑτοῖμοι ἦσαν ἐς τὰ ὅπλα ἰέναι, καὶ τῷ Θηραμένει καὶ τοῖς μετ' αὐτοῦ ἠπείλουν.* Ut nunc scribitur hic locus, nimis jejuna sententia est, statim nisi qui nollent paratos fuisse ad arma capienda. Quod si dicere voluisset Thucydides, scripsisset haud dubie *πολλοί* vel *οἱ πλεῖστοι*, vel aliquo modo numerum definivisset; nam iis, qui eo numero non comprehenduntur, voluntatem defuisse, nemo profecto narrandum putabit. Quare plane necesse est ea, quae *ταῦτα* dicuntur, non de sequentibus sed de praecedentibus intelligere, ut lib. II, cap. 79. *τῶν οὐ ταῦτα βουλομένων*. lib. VI, cap. 74. *οἱ ταῦτα βουλόμενοι*. Lib. IV, cap. 113. *οἷς ταῦτα ἤρεσκε*. Lib. VIII, cap. 84. *ξυνεδόκει δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις ξυμμάχοις ταῦτα*. Unde illud quoque apparet in praecedentibus verbis *τῶν ὁπλιτῶν τὸ στῖφος ταῦτα ἐβούλετο* non recte Popponem cum aliis de Stephani conjectura *ταὐτά* scripsisse. Denique *μή* particulam nisi quis forte delere mavult, ponendam censeo post *πλήν*, ut *ὅσοις βουλομένοις ταῦτα ἦν* sint ii, quibus nuncius allatus exoptatus erat et gratus accidebat; *πλὴν μή* vero est: h i s e x c e p t i s; quod hoc loco non minus recte dici existimo quam *πλὴν οὐκ* apud Demosth. p. Cor. pag. 241. de quo vid. Fr. Jacobs. in Actt. scholast. a. 1833. nr. 135. et quae dixi ad Xenoph. de Rep. Lac. c. XIII, (XV,) 6.

Supersunt loci duo, in quorum utroque nescio quo casu infinitivus loco suo motus est.

Lib. VI, cap. 65. *Οἱ δὲ στρατηγοὶ τῶν Συρακοσίων μετὰ τοῦ καὶ ἐς τὰ ἄλλα θαρσεῖν καὶ εἶναι*

ἐν διανοίᾳ καὶ ἄνευ τούτων ἰέναι παρεσκευάσθαι ἐπὶ Κατάνην, ἐπίστευσαν τῷ ἀνθρώπῳ. Vitiosum hunc. locum esse paene omnes consentiunt; nam ne Poppo quidem videtur suae illi interpretationi confidere, quam amplexus est Haackius: et praeterquam quod etiam sine his (quae nunciabantur) cogitabant parati esse adversus Catanam proficisc- Nam vel sic expectari potius ait παρασκευάσασθαι, quod quum in tribus recentissimis libris mss. legatur, receptum est a Didoto; sed id fictum esse ab iis, qui intelligerent ἐν διανοίᾳ εἶναι ad rem futuram semper spectare, quam quis in animo habeat, satis manifestum esti Reliquorum vehementior est medicina, qui aut ἰέναι aut παρεσκευάσθαι deleri volunt. Mihi locus sanissimus videtur, si sic verba ponamus: μετὰ τοῦ καὶ ἐς τὰ ἄλλα θαρσεῖν παρεσκευάσθαι καὶ εἶναι ἐν διανοίᾳ καὶ ἄνευ τούτων ἰέναι ἐπὶ Κατάνην. Sententia haec est: quum imperatores et ad reliqua omnia se satis instructos esse confiderent et profectionem illam jam ante illum nuncium animo agitassent, eo facilius fidem homini habuerunt. Quod autem deinde scribit Thucydides: ἐπεὶ δὲ ἑτοῖμα αὐτοῖς τὰ τῆς παρασκευῆς ἦν, id nullo modo verbis superioribus repugnat. Nam qui vel maxime ad bellum gerendum parati et ab rebus omnibus necessariis instructi sunt, tamen quotiens certa aliqua expeditio suscipienda est, ad hanc etiam separatim res suas parare debent, id quod fit ante ipsum discessum; atque in eadem re saepius Thucydides similibus locutionibus usus est, ut hac: ἐπειδὴ δὲ παρεσκεύαστο αὐτοῖς. Vid. lib. I, cap. 46. cap. 48. lib. III, cap. 22. cap. 102. cap. 107. lib. IV, cap. 67. Similes locutiones hae sunt. Lib. II, cap. 10. ἐπειδὴ δὲ ἑκάστοις ἑτοῖμα γίγνοιτο —. Lib. VII, cap. 60. ἐπειδὴ τὰ

πολλὰ ἑτοῖμα ἦν. Jb. cap. 65. ἐπειδὴ πάντα ἑτοῖμα ἦν. Jb. cap. 98. παρεσκευάζετο τὸν στρατόν· καὶ ἐπειδὴ αὐτῷ ἑτοῖμα ἦν, ἄρας ἐπορεύετο. Cf. lib. VII, cap. 50. 65.

Postremo loco ponam hujus generis exemplum quod mea quidem opinione omnium est certissimum. Nam quod legitur

lib. VIII, cap. 49. οὐδενὶ τρόπῳ οἱ ἔφη ἀρέσκειν ἐν τῷ αὐτῷ μένειν, ἀλλ' ὅτι τάχιστα ἤδη καὶ μὴ μέλλειν ἐξανίστασθαι. nullo modo dubitari posse arbitror, quin ponendum sit sic: ἀλλ' ὅτι τάχιστα ἤδη ἐξανίστασθαι καὶ μὴ μέλλειν. In vulgari enim scriptura quod Haackius existimat nec Poppo negat, bis cogitandum esse infinitivum ἐξανίστασθαι, primum ad ὅτι τάχιστα ἤδη, deinde ad μέλλειν, id vereor ne ab omni Graecorum usu alienum sit; quod autem ego reposui, certum habet constantemque usum, qui multis comprobari potest exemplis. Ac maxime quidem simile illud est lib. V, cap. 30. extr. ἐκέλευον τοὺς Κορινθίους ἰέναι ἐς τὴν ξυμμαχίαν καὶ μὴ μέλλειν. Item lib. VII, cap. 21. ἰέναι οὖν ἐκέλευεν ἐς τὴν πεῖραν τοῦ ναυτικοῦ καὶ μὴ ἀποκνεῖν. Cf. lib. VII, cap. 47. ἐξιέναι ἐψηφίζετο καὶ μὴ διατρίβειν. Lib. I, cap. 42. φανερὰν ἔχθραν ἤδη καὶ οὐ μέλλουσαν πρὸς Κορινθίους κτήσασθαι. Jb. cap. 69. οἱ γὰρ δρῶντες βεβουλευμένοι πρὸς οὐ διεγνωκότας ἤδη καὶ οὐ μέλλοντες ἐπέρχονται. Jb. cap. 125. ἐκπορίζεσθαι δὲ ἐδόκει ἑκάστοις ἃ πρόσφορα ἦν καὶ μὴ εἶναι μέλλησιν. Lib. V, cap. 86. τὰ τοῦ πολέμου παρόντα ἤδη καὶ οὐ μέλλοντα. Lib. VI. cap. 25. οὐκ ἔφη χρῆναι προφασίζεσθαι οὐδὲ διαμέλλειν. Jb. c. 49. τοὺς Σικελιώτας-σφίσι προσιέναι καὶ οὐ διαμελλήσειν. Lib. VII, cap. 15. ἅμα τῷ ἦρι εὐθὺς καὶ μὴ ἐς ἀναβολὰς πράσσετε. de qua locutione cf. Pflugk. ad Eurip. Heracl. 271. Nec alienum est etiam tales locos

conferre, ubi inversus est verborum ordo, veluti lib. VIII, cap. 78 extr. οὔκουν ἔφασαν χρῆναι μέλλειν ἔτι, ἀλλὰ διαναυμαχεῖν. His accedat etiam Sophocl. Philoct. v. 1240. ubi ait Neoptolemus, non enim assentior Hermanno, qui haec Ulixi tribuit: ἀλλὰ κἀμέ τοι ταὐτὸν τόδ' ὄψει δρῶντα κοὐ μέλλοντ' ἔτι. Cf. Eurip. Heracl. 133. Sunt autem haec, ut videtur, ex veteris sermonis epici copia profecta, nec sane multa sunt, quae eodem exemplo dixit Thucydides nec sine magna quadam asseveratione; vid. lib. VI, cap. 97. ἀμύνειν δὲ καὶ μὴ φοβεῖσθαι τὴν παρασκευὴν αὐτῶν. Jb. cap. 87. οὐκ ἄκλητοι, παρακληθέντες δέ. quemadmodum Sophocles dixit Aj. 289. ἄκλητος οὔθ' ὑπ' ἀγγέλων κληθείς. Alia habent Valcken. ad Hrdt. p. 206. Brunck. ad Soph. Oed. T. v. 58. Pflugk. ad Eur. Heracl. 532. Androm. 357. Poppo prolegg. I, pag. 204.

Caput V.

De emendationibus, quae fiunt mutandis vocibus.

Lib. I, cap. 24. *ὁ δῆμος αὐτῶν ἐξεδίωξε τοὺς δυνατούς· οἱ δὲ ἀπελθόντες μετὰ τῶν βαρβάρων ἐληΐζοντο τοὺς ἐν τῇ πόλει κατά τε γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν.* Manifestum est hujus loci vitium; quid enim attinebat dicere discessisse optimates, postquam eos populus fugavit? quasi vero in eorum potestate fuisset vel discedere vel remanere. Sed ponamus sane, id quod faciunt Poppo ceterique interpretes, eadem sententia eos qui fugati sunt, deinde dici discessisse, quamquam non is est Thucydides, qui talia bis dicat: quid igitur deinceps dictum oportuit? nempe qui aliquid faciunt *ἀπελθόντες*, profecto id alio loco faciunt, quam unde discesserunt; atque optimates quidem *ἀπελθόντες* barbaros exciverunt et exercitum comparaverunt; quae si enarraret Thucydides, paulo quidem fusior oratio esset, neque tamen inepta. Nunc vero non quae post discessum gesserint, enarrat, sed quae post reditum. Quare apparet, in illo *ἀπελθόντες* id repeti, quo jam dicto nihil opus erat, id vero omitti, quod dici necesse erat. Atque id jam ante me video Lennepium sensisse, quem quod *ἀπελθεῖν* pro *ἐπανελθεῖν* dictum esse existimat, facile est refutare. Ego

scripsisse Thucydidem censeo ἐπελθόντες. Ut enim ἐπιέναι, ita etiam ἐπέρχεσθαι frequentatur de ingressu hostium. Vid. lib. I, cap. 2. περιουσίαν χρημάτων οὐκ ἔχοντες οὐδὲ γῆν φυτεύοντες, ἄδηλον ὂν ὁπότε τις ἐπελθὼν-ἄλλος ἀφαιρήσεται. Jb. cap. 90. ὡς τοῦ βαρβάρου, εἰ αὖθις ἐπέλθοι, οὐκ ἂν ἔχοντος ἀπὸ ἐχυροῦ ποθεν ὁρμᾶσθαι. Lib. II, cap. 18. ἐδόκουν οἱ Πελοποννήσιοι ἐπελθόντες ἂν διὰ τάχους πάντα ἔτι ἔξω καταλαβεῖν. Cf. lib. I, cap. 69. c. 83. lib. III, c. 47. lib. IV, c. 32. c. 92. lib. VI, c. 33. et al. Ceterum ἐπί et ἀπό praepositiones frequenter a librariis permutatas esse, plurima sunt exempla, inter quae tria alia habeo apud ipsum Thucydidem reperta, in quibus quae verior esse scriptura videtur, nondum est ab editoribus restituta. Nam lib. V, cap. 67. in verbis illis: Τότε δὲ κέρας μὲν εὐώνυμον Σκιρῖται αὐτοῖς καθίσταντο —. παρὰ δ᾽ αὐτοῖς οἱ ἐπὶ Θρᾴκης Βρασίδειοι στρατιῶται· frustra esse arbitror, qui ἐπί praepositionem defendunt; nec fugit me vulgaris illa de praepositionum enallage doctrina, quae inter articulum et nomen interponuntur. Sed animadvertendum est in toto illo genere certam aliquam usus legem esse; non enim permutari licet praepositiones, nisi permutandi idonea causa sit; ea autem posita est in ejusdem sententiae verbo, ad cujus sensum accommodatur praepositio. Quamobrem quoniam hic nulla probabilis causa reperiri potest, cur qui olim in Thracia militaverant nunc quoque οἱ ἐπὶ Θρᾴκης vocentur, scripserim equidem οἱ ἀπὸ Θρᾴκης, quemadmodum supra bis legimus quamquam addito aut intellecto verbo, ad quod ἀπό referri possit cap. 34. ἡκόντων αὐτοῖς τῶν ἀπὸ Θρᾴκης μετα Βρασίδου ἐξελθόντων στρατιωτῶν. et cap. 35. extr. Μεσσηνίους καὶ τοὺς Εἵλωτας ἐξαγαγεῖν, ὥσπερ καὶ αὐτοὶ τοὺς ἀπὸ Θρᾴκης. et in hoc quidem loco etiam

ἐπί pro ἀπό dicere licebat, uti paulo ante dixit Thuc. τοὺς ἐπὶ Θρᾴκης στρατιώτας ἀπαγαγεῖν. qui enim abducuntur, sunt adhuc in Thracia, quod non cadit in locum illum superiorem.

Alterum exemplum pertinet ad ipsum ἐπελθεῖν verbum, quod supra tractavi. Nam lib. II, cap. 41. quod scribitur μόνη γὰρ (ἡ πόλις) οὔτε τῷ πολεμίῳ ἐπελθόντι ἀγανάκτησιν ἔχει ὑφ' οἵων κακοπαθεῖ, οὔτε τῷ ὑπηκόῳ ὡς οὐχ ὑπ' ἀξίων ἄρχεται. scribendum conjicio ἀπελθόντι. Scilicet qui infesto exercitu quamvis humilem indignumque hostem aggreditur, si sanus sit, indignari non potest, quod ab eo κακοπαθεῖ. Illud vero indignari potest, quod ab eo fugatur victusque discedit; quare quoniam in discedendo demum inest infamia, verbum ἀπελθεῖν necessarium videtur esse, quod praecipue de eo dicitur, qui victus discedit; vid. lib. I, cap. 111. lib. VI, cap. 48. αἰσχρῶς καὶ ἀπράκτως ἀπελθεῖν. Jb. cap. 85. cap. 86. cap. 21. αἰσχρὸν δὲ βιασθέντας ἀπελθεῖν. nimirum ex Sicilia discedere victum turpe videtur Atheniensi Niciae; contra quod Pericles gloriatur non contumeliosum esse ex Attica victum discedere, idem solatii Meliis ostendunt Athenienses lib. V, cap. 111. οὐκ ἀπρεπὲς νομιεῖτε πόλεως τῆς μεγίστης ἡσσᾶσθαι. Nec obstat κακοπαθεῖν verbum, quod etiam lib. I, cap. 78. non dicitur de eo, qui bellum adhuc sustinet quamquam graviter laborans, sed qui confectis jam viribus ad pacis condiciones offerendas descendit. Denique lib. III, cap. 108. in his: οἱ δὲ Ἀμπρακιῶται καὶ οἱ κατὰ τὸ δεξιὸν κέρας ἐνίκων τὸ καθ' ἑαυτοὺς καὶ πρὸς τὸ Ἄργος ἀπεδίωξαν. et ego intellexi et jam ante me a Bloomfieldq repertum video, scribendum esse ἐπεδίωξαν. Sciendum enim est, verbum ἀποδιώκειν, si recte memini, apud Thucydidem nusquam legi nisi aliquotiens in paucis

depravatis libris; ἐπιδιώκειν vero in eadem re usurpari frequentissime, cujus verbi quae exempla attulit h. l. Bloomfieldus, sufficere possunt. Cf. Abresch. ad lib. VII, cap. 23.

Dubitatum praeterea est lib. VIII, c. 81. utrum ἀπ' ἐκκλησίας an ἐπ' ἐκκλησίας scribendum sit; et hoc quidem quod est in libris mss. longe optimis et plurimis Poppo injuria repudiavit. Nam quod lib. VIII, c. 97. legitur: ἐγίγνοντο δὲ καὶ ἄλλαι ὕστερον πυκναὶ ἐκκλησίαι, ἀφ' ὧν καὶ νομοθέτας καὶ τἄλλα ἐψηφίσαντο ἐς τὴν πολιτείαν. itemque ib. cap. 79. δόξαν αὐτοῖς ἀπὸ ξυνόδου ὥστε διαναυμαχεῖν, quibus addo lib. I, cap. 97. ἀπὸ κοινῶν ξυνόδων βουλεύοντες· haud facile dixeris, id quod Poppo facit, ideo illic quoque ἀπό, non ἐπί dicendum fuisse. Scilicet interest aliquid; in illa enim praepositione causae significatio inest, in hac loci. Itaque si quae constituunt universi, id fieri dici potest ἀπ' ἐκκλησίας, ἀπὸ ξυνόδου; si quae vero unus aliquis vel suadet vel etiam persuadet, non id facit ἀπ' ἐκκλησίας sed ἐπ' ἐκκλησίας vel ἐν ἐκκλησίᾳ. Apparet igitur ἀπ' ἐκκλησίας dici non potuisse ibi, ubi de uno Thrasybulo agitur, qui quum antea eandem rem privatim cum amicis egisset, denique etiam in contione persuasit militibus, ut Alcibiades ab exilio revocaretur. At vero graecum esse negat Poppo, ἐπ' ἐκκλησίας dicere pro latinis in contione; qua in re erravit haud dubie. Est enim haud infrequens hic ἐπί praepositionis usus, et maxime quidem in significandis quibusdam locorum generibus, ubi crebra solet esse et diuturna hominum conversatio, id quod demonstravi jam ad Xenoph. Remp. Lacedd. cap. XIV, §. 1. ubi exemplis comprobavi haec: ἐπὶ φρουρᾶς, ἐπὶ στρατείας, ἐπὶ στρατιᾶς, de quibus adde Andocid. de red. pag. 21. §. 14. Plat. Rep. V, 14. pag. 468. bis.

Charmid. §. 9. ubi erravit Heindf.; praeterea ἐπὶ στρατοπέδου, ἐπ' ἀγροῦ, ἐπ' ἀγρῶν, ἐπὶ ξένης; ac de hoc quidem nunc addo Eurip. Androm. 136. ubi Pflugk affert Soph. Oed. Col. 184. et Bosii Ellips. p. 78. sq. Schaef. Similiter dixit Soph. Oed. T. 113. γῆς ἐπ' ἄλλης. Lucian. Somn. cap. 11. ἐπὶ τῆς ἀλλοδαπῆς. His atque talibus tum defendebam quod apud Xenoph. Rep. Lacedd. XI, 2. legitur ἐπὶ πόλεως; quod quum Weiskius reprehendisset, ego tum exemplis confirmare non potui; nunc video legi apud Eurip. Androm. 137. ἐπ' ἀλλοτρίας πόλεως, et apud Apollodor. bibl. II, 8, 5, §. 2. ἐπὶ τῆς πόλεως μένειν, itemque et ἐπὶ πόλεως et ἐπὶ τῆς πόλεως in inscriptione Acraephiensi ap. Boeckh. in Corp. Inscr. vol. I, nr. 1625. lin. 44. 67. 83. 87. ubi opponitur urbs ipsa loco ante urbem sito. Ceterum existimo equidem tales locutiones magis in familiari sermone quam eruditorum scriptorum usu frequentatas fuisse. Quo fit, ut illa maxime usitata sint: ἐπὶ τῶν οἰκημάτων καθῆσθαι, de quo vid. Aeschin. in Tim. p. 11. §. 74. Heindf. ad Plat. Charm. 23. p. 163. b. Boeckh. ad Corp. Inscr. vol. I, nr. 123. §. 2. Item ἐπὶ τῶν ἐργαστηρίων dixit Isocr. Areop. §. 15. p. 142 extr. ἐπὶ τοῦ ἰατρείου Aeschin. in Tim. p. 6, §. 40. pag. 8, §. 50. ἐπὶ κουρείου dixit alicubi Theophrastus; ἐπ' ἐρημίας Lucian. ver. hist, II, c. 5. His accedit quod ipsum etiam ἐπ' ἐκκλησίας legitur apud Memnon. hist. Heracl. cap. 59. et ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας apud Polyaen. strategg. lib. V, cap. 3, §. 2. vetustiores vero ejus locutionis auctores quin fuerint olim vel etiamnum reperiri possint, nemo dubitabit, qui totum illud similium exemplorum genus consideraverit. Ceterum pertinet hic usus ad alia quoque vocabula, quae non locos significant sed rerum quasdam condiciones, in quibus homines versantur; veluti ἐπ'

εἰρήνης dixit aliquotiens Homerus; ἐπὶ σχολῆς Plato Theaet. §. 76. p. 172. D. §. 93. p. 180. B. Legg. lib. IX. p. 858. ἐφ' ἡσυχίας Ael. V. H. III, 17, 1. ἐπ' ἀδείας Plut. Sol. cap. 22. Pyrrh. cap. 12. de quo vid. Wyttenb. Biblioth. crit. X. p. 7. ad quorum similitudinem dictum est apud Thuc. lib. VI, cap. 34. extr. ἐπὶ κινδύνου, de quo non recte statuit Poppo et plane etiam erravit Bloomfieldus. Ejusdem generis sunt illa: ἐπ' ἀξίας apud Lucian. Nigrin. cap. 24. ἐφ' ἡλικίας ver. hist. II, cap. 12. ἐπὶ γνώμης, ἐπ' ἐλπίδος, de quibus vid. Baehr. ad Plut. Pyrrh. cap. 3. pag. 149. sq. Ceterum de toto hoc ἐπί praepositionis usu apud Dindorfios in novo Steph. thesauro nec vola nec vestigium. Venio nunc ad alias haud minus faciles mutationes.

Lib. II, cap. 36. Τὰ μὲν κατὰ πολέμους ἔργα οἷς ἕκαστα ἐκτήθη, ἢ εἴ τι αὐτοὶ ἢ οἱ πατέρες ἡμῶν βάρβαρον ἢ Ἕλληνα πόλεμον ἐπιόντα προθύμως ἠμυνάμεθα, μακρηγορεῖν ἐν εἰδόσιν οὐ βουλόμενος ἐάσω. Manifestum est, atque video jam ante me alios conjecisse, non πόλεμον scripsisse Thucydidem sed πολέμιον; nam neque exemplum ullum simile huic apud eum reperitur, et omnino hujusmodi poëticam vocabuli translationem, qua πόλεμος ἐπιέναι dicitur, a Thucydidis ingenio vehementer abhorrere nemo negabit, qui eum recte noverit. Praetera ἐπιέναι verbum usu creberrimo dicitur de hoste qui infestus accedit, et quod gravius est, quum multis locis inter se conjungantur et opponantur verba ἐπιέναι et ἀμύνεσθαι, numquam tamen in illo aliud subjectum intelligitur nisi persona. Vid. lib. I, cap. 123. extr. λύουσι γὰρ (σπονδὰς) οὐχ οἱ ἀμυνόμενοι ἀλλ' οἱ πρότεροι ἐπιόντες. Lib. IV, cap. 64. ἐπιών τῳ μᾶλλον ἢ ἀμυνούμενος. et paulo post: τοὺς ἐπελθόντας ἀμυνούμεθα. Jb. cap. 92. εἰώθασί τε οἱ ἰσχύος που θράσει τοῖς πέλας ἐπιόντες τὸν μὲν ἡσυχάζοντα καὶ ἐν τῇ ἑαυτοῦ μόνον ἀμυνόμε-

ναν ἀδεέστερον ἐπιστρατεύειν. Jb. paulo post: πρὸς τοὺς μὴ ἀμυνομένους ἐπιόντες. Lib. VI, cap. 18. τὸν γὰρ προὔχοντα οὐ μόνον ἐπιόντα τις ἀμύνεται —. Jb. cap. 41. ὅπως εἷς τε ἕκαστος καὶ ἡ ξύμπασα πόλις καλῶς τοὺς ἐπιόντας παρασκευασώμεθαι ἀμύνεσθαι. Lib. III, cap. 16. τὸ ἀπὸ Πελοποννήσου ἐπιὸν (ναυτικὸν) ἀμύνεσθαι. Lib. I, cap. 69. ἀντὶ τοῦ ἐπελθεῖν αὐτοὶ ἀμύνεσθαι· βούλεσθε μᾶλλον ἐπιόντας. Atque quod postremis his locis dicitur ἀμύνεσθαι τὸν ἐπιόντα videtur constanti more sic dictum esse quasi in proverbii speciem; quod ut statuam maxime me movet locus ille lib. III, cap. 56. — αὐτοὺς ὀρθῶς ἐτιμωρησάμεθα κατὰ τὸν πᾶσι νόμον καθεστῶτα τὸν ἐπιόντα πολέμιον ὅσιον εἶναι ἀμύνεσθαι. Ab hac igitur consueta hujus sententiae forma nullo modo credibile est deflexisse Thucydidem ita, ut nescio quod non admodum aptum ornamentum poëticum captaret, atque plane inanem judico illam industriam, qua alii verbi ἐπιέναι usum poëticum quibusdam diversissimorum scriptorum locis comprobare studuerunt. Quis porro illud quoque ferendum esse putabit, quod πόλεμος Ἕλλην et βάρβαρος dicitur non Ἑλληνικός et βαρβαρικός? Talia apud poëtas inveniri nemo nescit; sed ea ad Thucydidem adhibere id vero est importunissime abuti doctrinae copiis, de quibus ne cogitare quidem potest, qui aliquem sensum habeat ingeniorum differentiae, nec statuat, quae usquam recte dicuntur, ubique fieri posse ut dicantur. Credat igitur licet Goellerus, in orationibus nihil non licere, delectet Popponem orationis sublimitas; ego πολέμιον scribo. Similis necessitas est lib. V, cap. 21. scribere κατειλημμένους, in quod rursus ego quoque post alios incidi, in his: βουλόμενος εἰδέναι εἰ ἔτι μετακινητὴ εἴη ἡ ὁμολογία, ἐπειδὴ εὗρε κατειλημμένας, αὐτὸς μὲν πάλιν κατὰ τάχος ἐπορεύετο.

Nam quod κατειλημμένας primus Scholiastes ad σπονδάς rettulit, ἰσχυράς interpretatus, in quo eum secuti sunt recentiores interpretes, duabus rationibus intelligitur fieri non posse. Nam primum hic est Thucydidis usus, ut καταλαμβάνειν de hominibus dicat; vid. lib. I, cap. 9. τοῖς Τυνδάρεω ὅρκοις κατειλημμένους τοὺς Ἑλένης μνηστῆρας ἄγων. Lib. IV, cap. 86. ὅρκοις Λακεδαιμονίων καταλαβὼν τὰ τέλη. Nec debet tamquam discrepans ab hoc usu proferri locus lib. VIII, cap. 63. ubi τὰ ἐν τῷ στρατεύματι, si ipsam sententiam spectes, non sunt res pactionibus firmatae, sed ipsi milites. Deinde vero, etiamsi velis hic alio modo Thucydidem verbo καταλαμβάνειν usum esse, quis credibile putabit, sanum quidem scriptorem participium κατειλημμένας non voluisse referre ad ὁμολογίαν, quod proximum est, sed ad σπονδάς, quod vocabulum eandem rem significat sed longissime ab hoc loco remotum est, adeo quidem, ut interjectis aliis sententiis nemo id jam in mente habere possit; eaque ipsa quum causa esset, cur Thucydides ὁμολογίας vocabulo uteretur et non illo altero intellecto scriberet εἰ ἔτι μετακινηταὶ εἶεν, luce clarius est, non potuisse eum deinde rursus σπονδάς intelligere. Quod qui statuunt, videant ne multo audacius de Thucydidis sana mente judicent quam alii de una mutanda litterula. Ceterum potest hic locus argumento esse, Scholiasten non usum esse exemplo tali librorum Thucydidis, quod a nostris magnopere differret et emendatius esset; quae res etiam aliis argumentis comprobatur.

Lib. II, cap. 89. πολλὰ δὲ καὶ στρατόπεδα ἤδη ἔπεσεν ὑπὸ ἐλασσόνων τῇ ἀπειρίᾳ, ἔστι δὲ ἃ καὶ τῇ ἀτολμίᾳ. Erunt fortasse, quibus leve nimis aut dubium videatur, quod in hoc loco observavi, neque id tamen tacendum duxi, quia nondum repperi, quo

id falsum esse demonstrarem. Non enim recte dici arbitror ἔπεσεν de totis exercitibus, quod ut frequenter dicitur de singulis hominibus proprie, itemque translate de magna potentia magnove imperio, ita non memini legere de exercitu, in quo πίπτειν nec proprie dicere commodum est, quia non unus est omnium casus, neque rursus translatio significationis apta est, quia casus intelligitur verus ac proprie dictus. Quamobrem suspicatus sum scripsisse Thucydidem ἔπταισεν quae mutatio debet levissima videri; αι enim et ε quotiens permutentur, dicere non opus est; ἔπτεσεν autem si quis legebat, fieri paene non poterat quin ἔπεσεν emendaret. Ceterum πταίειν verbum ut h. l. saepe dicitur in iis, qui sua aliqua culpa incidunt in rem adversam, veluti lib. VI, c, 33 extr. κἂν περὶ σφίσιν αὐτοῖς τὰ πλείω πταίσωσιν. Lib. IV, c. 18. ἐλάχιστα πταίοντες διὰ τὸ μὴ τῷ ὀρθουμένῳ πιστεύοντες ἐπαίρεσθαι. Lib. I, c. 122. ὁ ὀργισθεὶς οὐκ ἐλάσσω πταίει. Cf. lib. I, c. 122. V, c. 16. VI, c. 12.

Lib. III, cap. 12. Τίς οὖν αὕτη ἢ φιλία ἐγίγνετο ἢ ἐλευθερία πιστὴ, ἐν ᾗ παρὰ γνώμην ἀλλήλους ὑπεδεχόμεθα, καὶ οἱ μὲν ἡμᾶς ἐν τῷ πολέμῳ δεδιότες ἐθεράπευον, ἡμεῖς δὲ ἐκείνους ἐν τῇ ἡσυχίᾳ τὸ αὐτὸ ἐποιοῦμεν. De pravatum esse in loco hoc verbum ὑπεδεχόμεθα, facilius puto credetur, quando facili mutatione id quod verum est restitutum erit; nunc enim illud interpretes plerique omnes silentio transmiserunt; unus autem Bloomfieldus in eo explicando nimis se facilem praestitit. Scribit enim, ut Poppo refert: „ὑπεδεχόμεθα, excipiebamus, scil. hospitio et epulis. Aut fortasse metaphorice intelligatur pro excipiebamus cum honore et familiariter.“ Quarum interpretationum neutra probari potest, quamquam in utraque illud certe rectissime vidit Bloom-

fieldus, aliquanto plus in ὑποδέχεσθαι verbo inesse debere quam quod solet ei inesse; plerumque enim nihil significat quam vel in se recipere aliquam rem gerendam, ut lib. I, c. 25. c. 71. lib. VIII, c. 81. vel recipere aliquem hominem, veluti exules aut fugientes aut exercitum urbe recipere, ut lib. V, c. 83. lib. VI, c. 22. lib. III, c. 111. id quod in Athenienses et Mytilenaeos cadere non potest, inter quos aliqua egregia amicitiae significatio simulabatur. Erant enim Mytilenaei τιμώμενοι ἐς τὰ πρῶτα ab Atheniensibus, id quod non Cleo solum arguit infra c. 39. sed etiam Mytilenaei confitentur supra c. 9. extr. nec profecto ipsi minore studio illos honoribus et omni officiorum genere prosecuti sunt, quamquam h. l. id studium verbis quodamodo tegere et attenuare videntur et quasi pudore moti non audent ipsum illud θεραπεύειν de se dicere, sed verbi invidiam fugientes τὸ αὐτὸ ἐποιοῦμεν dicunt; in quo quidem haud vulgari arte Thucydides Mytilenaeorum animum exprimit. Accedit etiam, quod sibi ipsi repugnare videntur; quum enim supra c. 9 extr. confessi essent, se in pace ab Atheniensibus honoratos esse, nunc id belli tantum tempore factum affirmant. Manifestum igitur est, gravius aliquod verbum et invidia plenum desiderari, quale non est ὑποδέχεσθαι. Nam quod de hospitio et epulis scribit Bloomfieldus, aut significationem illam non habet, aut si habet, verbo ipsi ea non inest, neque etiam intelligitur metaphora illa qualis sit, qua quod est excipere simpliciter, dicatur ita, ut sit excipere cum honore et familiariter. Quamobrem ego probabilem explicandi rationem non invenio, emendandi vero facillimam hanc ut scribamus ὑπηρχόμεθα, quo quidem verbo nihil potest in hac sententia aptius esse; est enim fere id quod deinceps dicitur θεραπεύειν,

quod quomodo παρα γνώμην fiat, facile apparet. Ceterum nemo emendationi nostrae illud obstare censebit, quod hoc uno tantum loco apud Thucydidem verbum ὑπέρχεσθαι legatur; talia enim apud eum haud pauca sunt, et ubi ejusdem certe aetatis exempla supersunt, non potest id aliam ob causam quam casu factum videri. Sed quam apte ὑπηρχόμεθα scribatur, planissime demonstrant loci hi, quorum aliquos jam ad Xenoph. de Rep. Lacedd. in ind. s. v. posueram, Plat. Crit. p. 53. E. p. 15. ὑπερχόμενος δὴ βιώσει πάντας ἀνθρώπους καὶ δουλεύων. ubi Buttm. cit. Toup. ad Suid. p. 522. ed. Lips. Xenoph. Rep. Lacedd. VIII, 2. οἱ κράτιστοι καὶ ὑπέρχονται μάλιστα τὰς ἀρχὰς, καὶ τῷ ταπεινοὶ εἶναι μεγαλύνονται. Rep. Athen. II, c. 14. ὑπέρχεσθαι τοὺς πολεμίους. Andoc. adv. Alcib. §. 21. pag. 31 extr. Steph. εἰκότως δέ μοι δοκοῦσιν οἱ κριταὶ ὑπέρχεσθαι Ἀλκιβιάδην. Anecdtt. Bekk. pag. 178, 1. Ὑπέρχομαι: τὸ ὑποτάσσομαι, αἰτιατικῇ. Δίων τριακοστῷ ἑβδόμῳ βιβλίῳ· „ἀλλ' ὧν ἐπιχειρεῖ πρωτεῦσαι, τούτους ὡς καὶ κρείττονας ὑπήρχετο.“ Zonar. Annal. IV, 24. vol. I. pag. 213, 13. ed. Paris. Ὁ δὲ ὑπούλως αὐτὸν ὑπέρχεται, δῶροις τε καὶ τιμαῖς δεξιούμενος, πᾶσαν θέλων ὑπόνοιαν ἐξελεῖν, ἵν' αὐτὸν ἀφύλακτον λήψοιτο. Cf. ib. lib. XIII, c. 10. vol. II. pag. 20, 43.

Lib. III, cap. 18. Περιτειχίζουσι Μυτιλήνην ἐν κύκλῳ ἁπλῷ τείχει· φρούρια δὲ ἔστιν οἷ ἐπὶ τῶν καρτερῶν ἐγκατῳκοδόμηται. Perfectum tempus soli Haackius et Arnoldus tolerandum judicaverunt, ille quidem ob praesentia, quae praecedunt, quae tamen historica esse recte animadvertit Poppo. Arnoldus vero perfectum pro praesente positum esse statuit ita ut simul opus feliciter perfectum indicetur; posse autem tale perfectum ut ipsum praesens etiam in hi-

storico argumento poni. De qua sententia Poppo quidem nihil decernit, ego me ab ea non alienum esse significavi ad Reisigii scholas gramm. adnot. 269. pag. 225. Sed tamen et rarissime tale perfectum reperitur et hoc loco id minime aptum esse arbitror. Facile enim intelligitur, sententiam hanc φρούρια δὲ - ἐγκατῳκοδόμηται nihil aliud nisi ad describendum illum murum simplicem pertinere, de quo agitur; in quo quum praesidia tum demum instituantur quum murus perfectus est, profecto in illis non potest operis celeritas praedicari, quae in hoc praedicata non sit. Bloomfieldus ἐγκατοικοδομεῖται scribendum suspicatus est, quod Poppo non videtur satis eo refutasse, quod Thucydidem haud dubie ἐγκατοικοδομοῦσι scripturum fuisse statuit, si hic quoque praesente historico uti voluisset. Bekkerus denique maluit ἐγκατῳκοδομήθη. Quorum utrique maxime illam quam dixi hujus sententiae naturam obstare existimo; cujus sententiae quum quasi minor sit dignitas, quam praecedentis, eo tempore utendum est, quo id indicetur; atque id est ἐγκατῳκοδόμητο, quod facillima simul mutatione restituitur.

Ceterum quod hic legitur ἔστιν οἷ, admonet me loci cujusdam Xenophontei, qui est Cyrop. II, 3, 18. Ἐνταῦθα δὴ οἱ μὲν ἔβαλλον ταῖς βώλοις, καὶ ἔστιν οἳ ἐτύγχανον καὶ θωράκων καὶ γέῤῥων, οἱ δὲ καὶ μηροῦ καὶ κνημῖδος. ubi quod codd. mss. praebent ἔστιν οἷ, summa injuria spretum est ab editoribus omnibus. Nam si quis οὗ potius quam οἷ desideret, licet id profecto ita interpretari, atque magis etiam quam in illo Thucydidis loco, ubi Schol. August. οἷ ait pro ὅπου dictum esse, et fuerunt etiam inter librarios, qui ᾗ scriberent, quemadmodum lib. VIII, cap. 26. pro οἷπερ nonnulli et ᾗπερ et οὗπερ correxerunt. Sed

apud Xenophontem illud quoque animadvertendum est, non pari loco posita esse illa οἱ μὲν - ἔστιν οἱ - οἱ δέ; iis enim qui sunt οἱ μέν, postea demum opponuntur οἱ τοὺς νάρθηκας ἔχοντες, atque interim illi ita dividuntur, ut loci enumerentur, quo glebas adegerint; in qua re aptissime primum dicitur ἔστιν οἷ; thoraces enim et clypei pluribus locis percuti possunt; quod quoniam minus cadit in latus et ocreas, commodius erat dicere deinde οἱ δέ. Atque id ita statui debere, jam olim alio argumento docui ad Xenoph. de Rep. Lacedd. XV (XIV), 3, pag. 287. Observavi enim, errare grammaticos omnes, qui quum de usu relativi pronominis cum verbo ἔστι vel ἦν conjuncti praecipiunt, nominativum casum exempli loco ponunt, quasi ἔστιν οἵ et ἔστιν αἵ non minus dicere liceat quam ἔστιν ἅ vel ἔστιν ὧν aut alio casu obliquo; atque in communi hoc errore omnium praeter ceteros insignis est Dukerus, qui ad Thucyd. lib. VI, cap. 88, ubi εἰσὶν οἵ legitur, scripsit saepius dici ἔστιν οἵ, quod ille profecto neque apud Thucydidem neque apud alium ullum probatum linguae graecae auctorem usquam legerat, neque id licuisse ipse quidem Thucydides magno documento esse debet, qui locutiones illas imprimis frequentavit, neque tamen usquam ἔστιν οἵ vel ἔστιν αἵ scripsit; legimus enim apud eum εἰσὶν οἵ vel αἵ his locis: lib. I, cap. 23. lib. II, cap. 49. cap. 102. lib. VI, cap. 10. cap. 88. lib. VII, cap. 13. extr. cap. 44 extr. cap. 57. lib. VIII, cap. 101 extr. Atque nonnumquam etiam alibi plurali numero usus est, ubi licebat singulari uti, nisi ille ob alias causas aptior fuisset, lib. VII, cap. 25. ἦσαν γὰρ τῶν σταυρῶν οὓς —. lib. VIII, cap. 65. ἐνῆσαν γὰρ καὶ οὓς —. In reliquis vero semper praetulit singularem, et necessario quidem in ἔστιν ἅ lib. I. c. 12 extr. c. 65

extr. lib. II, c. 33. c. 35. c. 89. lib. III, c. 36. c. 93 extr. lib. IV, c. 123. lib. VII, c. 2 extr. c. 26. Praeterea dixit ἔστιν ὧν lib. III, c. 92. lib. VI, c. 88. lib. VII, c. 11. ἔστιν οἷς lib. I, c. 6. ἔστιν οὓς lib. V, c. 72 extr. ἔστιν ἀφ' ὧν lib. VIII, c. 65. ἔστι παρ' οἷς lib. I, c. 23. ἔστιν ἐν οἷς lib. V, c. 25.

Hinc ut ad Xenophontem redeam, unus apud eum locus superest Anab. lib. V, c. 10, 6. (VI, 2, 6.) ubi legitur ἔστι δ' οἵ; sed id debetur Krügeri nescio cui sedulitati, qui id ex uno cod. Vatic. recipiendum duxit, quum antea rectissime vulgatum esset εἰσὶ δ' οἵ, quod alibi quoque haud raro legitur apud Xenophontem, veluti hist. gr. lib. IV, c. 4, 5. Rep. Lacedd. II, 12. Habemus igitur duos gravissimos auctores regulae a me propositae, quam ex quo tempore inveni, nullo vidi meliorum quidem scriptorum exemplo infirmari; quid quod ne apud pejores quidem diversus usus invaluit? nam illud quidem affirmare ausim, neque apud militares mechanicosque scriptores, neque apud Byzantinos nonnullos, veluti Zonaram, neque apud alios quos ex aliquot annis totos legi, ullum locum reperiri, in quo ἔστιν οἵ vel ἔστιν αἵ legatur; contra εἰσὶν οἵ haud infrequens est, neque ego colligenda putavi ejus locutionis exempla, qualia sunt Eurip. Heracl. 343. Paus. V, 6, §. 7. 21, §. 17. Lucian. ver. hist. I, 25. Quamobrem exiguum ac paene nullum pondus habebit, quod Joann. Antioch. in Vales. Excerpt. p. 806. l. 23. scripsit τούτων ἔστιν οἳ ἀπώλοντο. Nam Cassius quoque Dio, ex quo ille haurire solet, εἰσὶν αἵ scripsit lib. LX, c. 16. et ibid. paulo post εἰσὶ δὲ οἵ. Accedit denique Arrianus, cujus jam ad Reisig. schol. gramm. pag. 605. protuli locum illum Indic. c. 6. pag. 220. ed. Gron. οἱ ποταμοὶ οἱ Ἰνδοὶ κροκοδείλους φέρουσιν, ἔστιν δὲ οἳ αὐτῶν καὶ ἰχθύας

καὶ ἄλλα κήτεα. Legitur apud eundem de Venat. XIV, 5. τοὺς ὄνυχας ἔστιν αἷ ἀπολλύουσι. ad quem locum Sauppius nuper quam caute dixerit, hunc quoque locum me erroris convincere posse, viderit ipse; nam quos deinde affert alios locos duos, item Arriani sunt ex Anab. IV, 4, 4. et VI, 11, 8. Quod autem ait: „neque profecto ideo in suspicionem vocaverim locos Xenophonteos Anab. VI, 2, 6. Cyrop. II, 3, 18." id plane futile est, quasi vero sit hoc in suspicionem vocare locos, si eorum veram scripturam, codicum mss. auctoritate comprobatam defendas ac restituas. Denique ne quid silentio transmittam, idem Sauppius auctore Bornemanno contra me exitavit locum Plat. Legg. p. 753. e. οἵτινες δὲ εἶεν ἂν πρὸς πασῶν τῶν ἀρχῶν γεγονότες οὐκ ἔστι· qui locus magno mihi argumento est, apta quidem exempla, quibus refellar, non reperiri; in hoc enim comparando quam frustra illi sint, neminem fugere potest, qui non satis sibi acutus videtur, quum speciem aliquam similitudinis deprehendit, sed qui aliquanto accuratius ipsam loci cujusque et usus rationem veramque naturam indagat. Ceterum verbo monere satis est, non esse illam arbitrariam quandam optimorum scriptorum consuetudinem et ratione carentem, quod quum dicerent frequenter ἔστιν ὧν, ἔστιν οἷς, ἔστιν οὕς, non tamen permiserunt sibi ἔστιν οἳ vel ἔστιν αἳ dicere. Ubi enim nominativo casu ponitur pronomen relativum, grammatica ratio haec est, ut tota relativa sententia sit latior quaedam subjecti ejus descriptio, quod non defuisse significatur; ad quod quoniam verbum suum accommodari debet, efficitur ut εἰσίν vel ἦσαν dicendum sit. At ubi casus obliquus ponitur, haec potius sententiae vis est, ut aliud aliquid esse vel fieri declaretur verbo finito; in quo quoniam una tantum res

ea significatur, quae fit, non minus dici potest ἔστιν ὧν, quam cum quis adverbiis utitur ἔστιν οἷ, ἔστιν ὅπου. neque tamen alienum est, cum obliquo casu etiam εἰσίν conjungere, quum non tam res gesta spectatur, quam eorum numerus, ad quos ea aliquo modo pertinet; quamquam ab hoc usu Thucydidem quidem videmus abstinuisse. Quae quum ita sint, satis manifestum mihi videtur esse, non posse bonos et accuratos scriptores ἔστιν οἵ dicere, sed tales tantum, qui amisissent rectum genuinumque sensum legis in linguae natura ac ratione positae. Grammatici vero peccaverunt ideo, quod ut saepe rerum cognoscere causas negligunt, ita hic quoque non quaesiverunt de numerorum causis.

Lib. III, cap. 82. ἁπλῶς δὲ ὁ φθάσας τὸν μέλλοντα κακόν τι δρᾶν ἐπῃνεῖτο καὶ ὁ ἐπικελεύσας τὸν μὴ διανοούμενον. Neminem offendit illud ἁπλῶς δέ, nec sane est in eo quicquam offensionis, nisi quis accuratius observaverit Thucydidis consuetudinem; ob quam equidem suspicor scribendum esse ἁπλῶς τε. Hac enim particula uti solet et in hac formula et in aliis, quarum fere eadem vis ac ratio est. Itaque ἁπλῶς τε dixit lib. III, c. 38 et c. 45. Eodem modo lib. II, c. 41. ξυνελών τε λέγω lib. VI, c. 80. ξυνελόντες τε λέγομεν. Item lib. I, c. 138. καὶ τὸ ξύμπαν εἰπεῖν. Lib. VII, c. 49. τό τε ξύμπαν εἰπεῖν. lib. IV, c. 63. τὸ ξύμπαν τε δὴ γνῶμεν. lib. III, c. 92. τό τε ξύμπαν ὥρμηντο τὸ χωρίον κτίζειν. Quamobrem forsitan etiam

lib. VII, cap. 77. scribendum sit τό τε ξύμπαν γνῶτε, quo loco unus tantum codex Vaticanus τε habet pro vulgato δέ; sed eum librum scimus etiam alibi haud raro unum praebere id quod verum est. Non tamen tacendum est lib. IV, c. 64. τὸ δὲ ξύμπαν

legi, ubi nulla adnotata est librorum discrepantia; neque tamen is locus superioribus illis plane similis est. Rursus legimus lib. VI, c. 18. παράπαν τε γιγνώσκω.

Lib. IV, cap. 20. Ἡμῖν δὲ καλῶς ἔχει ἀμφοτέροις ἡ ξυναλλαγὴ πρίν τι ἀνήκεστον διὰ μέσου γενόμενον ἡμᾶς καταλαβεῖν, ἐν ᾧ ἀνάγκη ἀΐδιον ὑμῖν ἔχθραν πρὸς τῇ κοινῇ καὶ ἰδίαν ἔχειν, ὑμᾶς δὲ στερηθῆναι ὧν νῦν προκαλούμεθα. Initio quidem hujus sententiae quod dicitur ἡμῖν et deinde ἡμᾶς, ad utrosque pertinet et Lacedaemonios, qui orationem habent, et Athenienses, ad quos habent; deinceps vero non item ad utrosque sententiae spectant, sed bis binis sententiis alteri alteris opponuntur, donec rursus utrique conjuncti opponuntur reliquis Graecis. Nam quod nunc legitur ὑμῖν post ἀΐδιον positum, verum esse non credo, sed suspicor scriptum fuisse ἡμῖν, quae confusio quotiens acciderit vel apud ipsum Thucydidem, dicere non opus est. Ὑμῖν si servemus, pendebit hic dativus a verbis ἔχθραν ἔχειν, ut significentur Athenienses, adversus quos aeternum sint odium suscepturi Lacedaemonii; qualem dativum in hac quidem re ut omissum nemo desiderabit, ita addi eum paene inhumanum est et durum; certe in tantam hanc verborum lenitatem, qua Lacedaemonii utuntur, multo magis convenire videtur, ut omittatur. Accedit quod sequitur ὑμᾶς δέ, in quo necessario requirimus, ut quibus hi opponuntur, non sint tacite intellecti sed diserte appellati. Quamobrem ἡμῖν scribimus, ut sint hi Lacedaemonii, quibus necessitas evenit, ut odium aeternum suscipiant.

Lib. IV, cap. 18. Σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν οἵτινες τἀγαθὰ ἐς ἀμφίβολον ἀσφαλῶς ἔθεντο καὶ ταῖς ξυμφοραῖς οἱ αὐτοὶ εὐξυνετώτερον ἂν προσφέροιντο, τόν τε πόλεμον νομίσωσι μὴ καθ᾽ ὅσον ἄν τις αὐτοῦ μέρος

βούληται μεταχειρίζειν, τούτῳ ξυνεῖναι, ἀλλ' ὡς ἂν αἱ τύχαι αὐτῶν ἡγήσωνται· καὶ ἐλάχιστ' ἂν οἱ τοιοῦτοι πταίοντες διὰ τὸ μὴ τῷ ὀρθουμένῳ αὐτοῦ πιστεύοντες ἐπαίρεσθαι ἐν τῷ εὐτυχεῖν ἂν μάλιστα καταλύοιντο. **Parum recte hunc locum vel legi vel intelligi arbitror, qui cum aliis documento esse potest, quantam durissimae orationis licentiam in Thucydide quidem interpretes ferendam existimaverint. Sed omnium opiniones recensere longum est; unam Popponis refutare satis habeo, cum quo plerique consentiunt. Ac primum quidem** *σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν* **ita dictum existimant, ut illud Aristoph. Thesm. 177.** *σοφοῦ πρὸς ἀνδρὸς ὅστις ἐν βραχεῖ πολλοὺς καλῶς οἷός τε συντέμνειν λόγους·* **cum quo conferunt Xenoph. Hellen. II, 3, 51.** *νομίζω, προστάτου ἔργον εἶναι οἵου δεῖ, ὃς ἂν ὁρῶν τοὺς φίλους ἐξαπατωμένους μὴ ἐπιτρέπῃ.* **Anab. II, 5, 21.** *παντάπασι δὲ ἀπόρων ἐστὶ καὶ ἀμηχάνων καὶ ἀνάγκῃ ἐχομένων καὶ τούτων πονηρῶν, οἵτινες ἐθέλουσι δι' ἐπιορκίας - πράττειν τι.* **Ib. c. 6, 6.** *ταῦτα οὖν φιλοπολέμου δοκεῖ ἀνδρὸς ἔργα εἶναι, ὅστις ἐξὸν μὲν εἰρήνην ἄγειν ἄνευ αἰσχύνης καὶ βλάβης, αἱρεῖται πολεμεῖν.* **Apud Thucydidem vero quominus eandem rationem adhibeamus, haud una causa obstat. Ac primum quidem ipse hic usus quum apud alios natura sua rarissimus est, tum apud Thucydidem nusquam alibi reperitur; nam duo illi Xenophontis loci Hellen. II, 3, 51. et Anab. II, 6, 6. ex hoc numero removendi sunt ob additum nomen** *ἔργον* **vel** *ἔργα.* **Nimirum haec est hujus usus ratio, ut sententia relativa non ad certum aliquod nomen describendum pertineat, ad quod referatur pronomen relativum, sed ut omissa nominis illius cogitatione de ipso facto et re gesta, quae inest sententiae relativae, aliquid praedicetur, quasi non** *ὅστις* **sed** *εἴ τις* **scriptum sit. Atque id si ita fit, facile to-**

leratur multisque comprobari potest exemplis; at vero vehementer ab hoc genere discrepat, quum pro eo, quod tamquam de re gesta praedicatur, ipsum illud nomen ponitur, ad quod pronomen relativum pertinet, neque tamen ita, ut ea inter se conjungi possint. Nam illud facilius est, quod homo quidam aliquo modo descriptus rei gestae loco accipitur; sed quod rursus ea res gesta ejusdem hominis esse dicitur, id profecto majorem habet offensionem; forma enim sententiae haec est, ut non res, sed ut homo idem hominis ejusdem esse dicatur. Qua quidem insolentia ita plerique omnes scriptores abstinuerunt, ut paucissima ejus reperiantur exempla; unum autem idque dubium exemplum Thucydidi haud tribuendum sit, nisi magna fuerit necessitas; sed id non modo necesse non est, sed ne probabile quidem. Thucydides enim aliter loqui solet, atque etiam in iisdem verbis aliter dixit lib. I, c. 120. *ἀνδρῶν γὰρ σωφρόνων μέν ἐστιν, εἰ μὴ ἀδικοῖντο, ἡσυχάζειν.* et rursus aliter lib. VI, c. 6. *σῶφρον δ' εἶναι.* cf. ib. c. 41. et ib. c. 29. *ὅτι σωφρονέστερον εἴη.* Sed gravius illud est, quod si Popponem sequamur, totius sententiae structura corrumpitur. Statuit enim in parenthesi dici illa: *καὶ ταῖς ξυμφοραῖς οἱ αὐτοὶ εὐξυνετώτερον ἂν προσφέροιντο·* quod quam molestum sit, facile sentiunt, qui non quemvis locum parenthesi satis idoneum putant; deinde vero plane intolerabile est, quod post parenthesin illam etiam repeti cogitatione debet *οἵτινες* pronomen, quod et longe remotum est et hic in mentem venire nemini potest propter verborum collocationem; neque enim ntelligi id potest nisi post voces *τόν τε πόλεμον.* Accedit etiam, quod conjunctivus *νομίσωσι* sequitur; quis enim credibile putabit eam ipsam vocem omissam esse, a qua is pendet? quae quoniam antea cum indi-

cativo conjuncta est, nunc alio quodam modo intelligi debeat, id quod ut fieri posse credam, haud facile adducar. Denique ipsius conjunctivi quam causam esse dicemus? nam quod prudentium virorum est, id non minus certum ac definitum esse apparet in priore quam in posteriore sententia. Tot igitur tantaeque quum sint in ipsa orationis structura difficultates et offensiones, summa profecto infantia videri debet Thucydidis, qui eas cavere non potuerit. Quid quod consilium quoque et argumentum sententiae manifesto demonstrat, erravisse Popponem; non enim casu fit, ut, qui rebus secundis non nimium confidunt, iidem etiam adversas prudentius ferant; neque hae tamquam duae res natura inter se disjunctae ac separatae arbitratu quodam Thucydidis componuntur, sed intelligi voluit alteram ex altera pendere atque effici; itaque par est utriusque dignitas, id quod satis etiam declaratur verbis illis, quae opposita sibi sunt, *τἀγαθά* et *αἱ ξυμφοραί*, et manifestum est, non posse alteram sententiam in parenthesi poni, sed est ea apodosis aptissime cum protasi sua conjuncta. Cf. lib. I, c. 84. *τὸ βραδὺ καὶ μέλλον, ὃ μέμφονται μάλιστα ἡμῶν, μὴ αἰσχύνεσθε - καὶ δύναται μάλιστα σωφροσύνη ἔμφρων τοῦτ' εἶναι· μόνοι γὰρ δι' αὐτὸ εὐπραγίαις τε οὐκ ἐξυβρίζομεν καὶ ξυμφοραῖς ἧσσον ἑτέρων εἴκομεν.* Sed Poppo etiam protulit aliquod argumentum, quo docere studet debere verba illa: *καὶ ταῖς ξυμφοραῖς - προσφέροιντο* in parenthesi poni; ait enim: „consilium oratoris non potest id esse, ut, quales homines mala, quibus Athenienses hic ad pacem impellendi tunc non premebantur, prudenter tractaturi sint, demonstret, sed ut eos, quos antea fortunam semper sibi secundam fore sperare vetuit, prosperis rebus moderate utendum

esse doceat. Quare eos, qui id faciant, prudentes oportet praedicet; adversas autem res eosdem sapienter laturos si addere vult, id non potest nisi in transcursu fieri." In his vereor ne Popponem ratio fefellerit; nam rerum adversarum mentio si adeo aliena est ab oratoris consilio, ut ille statuit, non modo non in transcursu fieri sed etiam plane omitti debuit; nec dubito, quin Popponi etiam commodior oratio futura videatur, si tota illa sententia abesset. Nunc vero quoniam non abest, indaganda causa est, cur recte habeat. Et ego quidem quamquam non nego rectam rerum adversarum aeque ac secundarum aestimationem habere communem fontem τὴν σωφροσύνην, tamen non parem utriusque aestimationis rationem ac dignitatem hic intelligi statuo, sed eam, ut altera alterius fructus sit. Nam qui in secundis rebus abstinens fuit, eum sperare licet fore etiam in adversis bene cordatum, quae quamquam natura conjuncta sunt, tamen hoc et tempore in re praesenti posterius est et potest ex illo proficisci videri; difficilius enim est res secundas ferre; quod qui fecerit, animum ex eo magis etiam confirmatum et auctam prudentiam referet, quia diffidere fortunae didicit et assuevit. Quare haud absurde orator suadet Atheniensibus, ut moderate utantur fortuna secunda; hunc enim ex eo fructum laturos, ut adversae prudentius obviam eant; adversa autem ut aliquando accidat exspectandum esse jam antea monuerat.

Jam vero concedam parumper, posse cuipiam levia ac tolerabilia videri omnia incommoda, quae adhuc demonstravi, compositamque orationem esse in eam formam, quam voluit Poppo, duabus videmus sententiis exponi quid sit σωφρόνων ἀνδρῶν. Et primum quidem illud, quod fortuna secunda sapienter utuntur

quin sit pars σωφροσύνης, nullum dubium est; at qualem illam σωφροσύνης partem putabimus, quod quis de varia difficilique belli natura recte statuit neque certum aliquem belli gerendi modum in potestate sua futurum sibi persuadet? Ea enim potius prudentia est et rerum usus, non σωφροσύνη. Satis mihi jam demonstrasse videor, quid fieri non possit: nunc quid debeat, exponam. Ac primum quidem genitivum illum σωφρόνων ἀνδρῶν, quoniam non licet accipere ita ut intelligatur ἔργον ἐστί, pendere facio ab sequente οἵτινες, quod quum parum commode fieri judicaverit Poppo, ego et aptissime fieri et paene etiam necesse esse statuo. Nam eo quidem non opus est confugere, ut genitivum saepe poni demonstrem, ubi licebat etiam nominativo uti, veluti infra c. 28, legimus οἱ σώφρονες τῶν ἀνθρώπων, aut supra c. 17. οἱ ἀήθως τι ἀγαθὸν λαμβάνοντες τῶν ἀνθρώπων. non enim talia promisce dici arbitror aut sine causa, neque debet inanes videri argutias captare, qui apud Thucydidem parvarum rerum causas quaerit. Ceterum illud satis manifestum est, quod jam dixi, non recte eos σώφρονας ἄνδρας appellari, qui de belli natura recte judicent; ea igitur causa est, cur nominativo non usus sit Thucydides; alia vero est, cur genitivus aptissimus esse videatur. Qui si non ex Popponis sententia explicetur, hanc vim habet, ut non de omnibus jam agatur, qui σώφρονες ἄνδρες sunt, sed inter eos de his tantum, qui et secunda fortuna sapienter utantur et belli naturam recte aestiment. De omnibus enim si ageretur, et in universum si exponerent Spartani, quale sit σωφρόνων ἀνδρῶν officium, praeceptio haec quidem esset ignorantibus apta et ad virtutem adhortatio, quae non potest sejuncta esse ab aliqua reprehensione; quorum utrumque quam vehementer abhorreat ab hujus ora-

tionis modestia, obscurum esse non potest. Nam quum alibi saepe Athenienses aegre ferre videmus, si quis de eorum ingenio et acumine non summa quaeque existimet, tum Spartani illius vanitatis bene gnari jam ab initio orationis callide eos monuerant, ne sibi *ὡς ἀξύνετοι διδασκόμενοι* viderentur; verba enim *πρὸς εἰδότας* fieri. Nec magis poterat de Atheniensium *σωφροσύνῃ* sinistra aut ambigua oratio esse, quos item jam antea dixerant multo rerum usu egregie firmatum animum habere adversus secundae fortunae illecebras. Quamobrem nihil in rem praesentem aptius est, quam genitivum eo quo dixi modo accipere, in quo non esse debere, sed esse jam *σώφρονες ἄνδρες* intelliguntur, ut si dicas: inter moderatos viros, quales et vos estis et nos sumus, quicunque secundas res inter ambigua tuto ponunt, iidem etiam adversis prudentius occurrant.

In his illud superest ut explicetur, quomodo dictum sit *ἐς ἀμφίβολον ἀσφαλῶς ἔθεντο*. Nam hic quoque video interpretes de vera Thucydidis mente aut dubitasse aut errasse. Quum enim *ἐς ἀμφίβολον* et *ἀσφαλῶς* repugnare inter se viderentur, plerique earum vocum notiones ita separaverunt, ne in eadem re convenirent, secuti hanc Heilmanni interpretationem: wer sich die erhaltenen vortheile auf alle ungewissen fälle zu sichern sucht. Alii *ἐς ἀμφίβολον* interpretati sunt: propter ambiguam fortunam. Quae explicatio quamquam Popponi quoque maxime placet, recte tamen dubitat, num ea verbis illis inesse possit. Ego mihi ipsum Thucydidis ingenium assequi videor, quum *ἐς ἀμφίβολον* et *ἀσφαλῶς* arcte et inter se conjungo et cum verbo *ἔθεντο*, non modo quamquam contraria sunt, sed quia sunt. Amat enim Thucydides hanc dicendi figuram, quae oxymoron vocatur, veluti dixit lib. III, c. 38. *θεαταὶ μὲν*

τῶν λόγων, ἀκροαταὶ δὲ τῶν ἔργων. Lib. IV, c. 61. extr. οἵ τ' ἐπίκλητοι εὐπρεπῶς ἄδικοι ἐλθόντες εὐλόγως ἄπρακτοι ἀπίασι. Ib. c. 126 extr. οἳ δ' ἂν εἴξωσιν αὐτοῖς, κατὰ πόδας τὸ εὔψυχον ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ὀξεῖς ἐνδείκνυνται. Cum quo illud componendum, quod Pericles dixit lib. II, c. 63. ἀπραγμοσύνῃ ἀνδραγαθίζεσθαι, et Cleo lib. III, c. 40. ἐκ τοῦ ἀκινδύνου ἀνδραγαθίζεσθαι, quibus illi vocibus mirifice talium civium ignavam probitatem pungunt, quales Goethius in divina tragoedia Fausto facit illa dicentes: nichts bessers weiss ich mir an sonn- und feiertagen als ein gespräch von krieg und kriegsgeschrey; nota sunt reliqua; neque enim plane defuit antiquis temporibus praeclara illa, quam nos appellamus, Philistaeorum natio, quorum virtutem haud minus felici voce Tacitus segnem innocentiam vocavit Ann. XIV, c. 51. cf. Hist. I, c. 56. ubi Hordeonium Flaccum memorat segnem, pavidum, et socordia innocentem. Talia nemo non videt magna cum gravitate dici neque ad inanem ingenii lusum ob argutiae delectationem composita esse, qualis industria diversis quidem temporibus haud pauca similia produxit. Vid. Jani art. poet. pag. 430. Cort. ad Lucan. Phars. I, 98. VI, 640. et al. atque in eo ipso, quod simul et tutum et non tutum est, Lucanum et Claudianum aliis modis lusisse demonstrat idem Cort. ad Lucan. III, 383. Sed in hoc genere insigne Thucydidis acumen aliquotiens fefellit interpretes; nam in superiore illo exemplo quid potest vel verius vel ingeniosius dici quam illud ἐς ἀμφίβολον ἀσφαλῶς ἔθεντο? scilicet qui sapientes sunt, dum res secundas inter ambigua ponunt, easdem tuto ponunt, nullus enim earum tutior locus est, quam quum inter ambigua referuntur. In eadem causa sunt duo alii loci, quorum alter obscurus habetur, alter etiam

corruptus est. Ille legitur lib. III, c. 12 extr. *εἰ γὰρ δυνατοὶ ἦμεν ἐκ τοῦ ἴσου καὶ ἀντεπιβουλεῦσαι καὶ ἀντιμελλῆσαι, τί ἔδει ἡμᾶς ἐκ τοῦ ὁμοίου ἐπ' ἐκείνοις εἶναι;* in quo loco quanta et interpretandi et emendandi licentia fuerit, docent Popponis commentarii; nos *ἐκ τοῦ ὁμοίου ἐπ' ἐκείνοις* per oxymoron dicta non modo non vitiosa sed etiam rectissima et commodissima esse judicamus. Quae enim in ipsa Mytilenaeorum condicione inest repugnantia, ea acuta brevitate ingeniose describitur; haec enim eorum sententia est: Si tantae nostrae vires essent, ut ex aequo insidias insidiis, cunctationem cunctatione reponere possemus, quid nobis opus erat tam injusta hac societate, in qua simul et aequo jure cum Atheniensibus et tamen in eorum potestate sumus? Talis enim fuit illa, quam Thucydides dicit lib. VIII, c. 64. *ὕπουλος αὐτονομία*, quam Athenienses venditabant. Restat locus lib. III, c. 56. *εἰ γὰρ τῷ αὐτίκα χρησίμῳ ὑμῶν τε καὶ ἐκείνων πολεμίῳ τὸ δίκαιον λήψεσθε, τοῦ μὲν ὀρθοῦ φανεῖσθε οὐκ ἀληθεῖς κριταὶ ὄντες, τὸ δὲ ξυμφέρον μᾶλλον θεραπεύοντες.* Non persuadeo mihi recte illud *πολεμίῳ* a Poppone defensum esse; quae enim in Prolegg. vol. I. pag. 300. de *τέ* particula disputat, ea nemo non videt non pertinere ad singula vocabula conjungenda, qualia hic leguntur, sed ad sententias aut sententiarum membra e pluribus composita partibus. Quare verum vidisse arbitror Kruegerum, qui *πολεμίως* scribi jussit. Ita enim pulcherrimo oxymoro quae tria in judicando plurimum valent, utilitas, amicitia, justitia, in eodem verbo diversis formis conjunguntur sic: *τῷ χρησίμῳ πολεμίως τὸ δίκαιον λαμβάνειν.* Quod autem vocis *πολεμίως* exempla allata parum similia judicavit Poppo, nimium exigit; ego satis simile illud esse existimo,

quod legitur lib. IV, c. 17. λάβετε τοὺς λόγους μὴ πολεμίως. ex quo loco et reliquis a Kruegero allatis lib. VI, c. 17. c. 53. c. 61. satis apparet in hujusmodi locutionibus λαμβάνειν esse fere accipere in bonam malamve partem, vel ἀποδέχεσθαι, quod cum eo commutatur lib. VI, c. 53. quamobrem τὸ δίκαιον hoc loco non videtur in universum de eo quod justum est intelligi, sed quatenus id judicandum proponitur a Plataeensibus. Ceterum eaedem fere notiones lib. IV, c. 60. sic componuntur: ὀνόματι ἐννόμῳ ξυμμαχίας τὸ φύσει πολέμιον εὐπρεπῶς ἐς τὸ ξυμφέρον καθίστανται. ubi εὐπρεπῶς plane ita usurpatum ut illic πολεμίως. Cf. lib. I, c. 76. τὰ ξυμφέροντα λογιζόμενοι τῷ δικαίῳ λόγῳ νῦν χρῆσθε. Sed redeat jam oratio unde digressa est. Defenso enim et explicato priore sententiae membro illo: σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν οἵτινες τἀγαθὰ ἐς ἀμφίβολον ἀσφαλῶς ἔθεντο, καὶ ταῖς ξυμφοραῖς οἱ αὐτοὶ εὐξυνετώτερον ἂν προσφέροιντο, accedendum est ad alterum membrum, in quo etiam major est difficultas. Refutata enim Popponis ratione una superest Haackii, ut conjunctivus νομίσωσι conjungatur cum οἵτινες, id quod voluerat etiam Poppo, apodosis vero hujus sententiae putetur eadem esse, quae est in priore membro. Sed plane monstrosa ea orationis forma, in qua duplex est protasis, una autem communis apodosis inter utramque interposita, ipsi etiam Haackio postea displicuit. Quamobrem novam propono rationem hanc, ut alteri quoque membro sua adjungatur apodosis, id quod facillime perficitur sublata majore interpunctione, quae nunc est post ἡγήσωνται. Ita demum justa et aequabilis toti orationi forma restituitur; habemus duas protases, habemus item duas apodoses, in quibus hoc quoque simile, quod utraque a καί particula incipit et utraque subjectum

repetitum habet, altera in οἱ αὐτοί, altera in οἱ τοιοῦτοι, quae similitudo quum deberet veram interpretandi viam indicare, erroris etiam causa extitit propterea quod in posteriore apodosi καί particula visa est novam sententiam incipere. Sed quam nunc apte composita sit oratio, magis etiam postea apparebit, quum quae in ea adhuc obscura sunt, explicavero; nunc unum superest scripturae vitium, de quo mihi quidem ambigi non posse videtur. Habemus enim σωφρόνων ἀνδρῶν duo genera; alteri secunda fortuna sapienter utuntur, eoque facilius adversam tolerant; alteri de belli natura recte statuunt eoque efficiunt, ut commodissimo tempore et in rebus optimis pacem faciant. Quae quum ita sint, quoniam fieri non potest, ut οἵτινες vox e priore protasi, interjecta ejus apodosi, deinde in altera quoque protasi intelligatur, praesertim quum illic cum indicativo, hic cum conjunctivo construatur, necesse est illius vocis loco aliam ponere; et Dobreus quidem ἤν addere voluit, quod minus aptum est propterea quod illa duo quae dixi σωφρόνων ἀνδρῶν genera pronominibus relativis significanda sunt. Quamobrem ego sic Thucydidem scripsisse conjicio: οἵ τε πόλεμον νομίσωσι, vel etiam τόν τε πόλεμον οἳ νομίσωσι. quorum utrum praeferam nescio; neutrum nimis audax existimo; nam et τόν τε facile scribi potuit pro οἵ τε, si quis aut non agnosceret pronominis relationem aut si οἵ forte corruptum erat in ὅν; et excidere οἵ ante νομίσωσι, non minus facile potuit aut quod non intelligebatur aut quod οἱ vel aliud pro eo corrupte scriptum erat; ita etiam lib. VIII, c. 99. αἵ in omnibus libris deest praeter unum Vatic. In explicandis autem sequentibus verbis rursus varie peccatum est, nec potest ulla ratio commodior esse, quam ut in ξυνεῖναι verbo, id quod proximum est, intelligas eosdem, qui

sunt in νομίσωσι et deinde in αὐτῶν; atque inter haec pluralia de eadem persona singularem τούτῳ intelligere, qui ad τίς referatur, plane alienum est; τούτῳ igitur est τῷ πολέμῳ. Accusativus autem τὸν πόλεμον toti sententiae praepositus tamquam qui universum ejus argumentum indicet, a verbo νομίσωσι pendet, quae forma dicendi vulgaris est apud Graecos, rarior apud Latinos; vid. quae dixi ad Reisig. scholl. gramm. adn. 554. et Thucydides quidem ea haud raro usus est. Vid. lib. IV, c. 108. τοὺς ξυμμάχους ἐφοβοῦντο μὴ ἀποστῶσιν. Ib. c .8. τὴν νῆσον φοβούμενοι, μὴ ἐξ αὐτῆς τὸν πόλεμον σφίσι ποιῶνται. Ib. c. 23. σκοποῦντες καιρὸν εἴ τις παραπέσοι. Lib. III, c. 53. ὑποπτεύομεν-ὑμᾶς μὴ οὐ κοινοὶ ἀποβῆτε. Ib. c. 37. καὶ ἄλλοτε ἔγνων δημοκρατίαν ὅτι ἀδύνατόν ἐστιν ἑτέρων ἄρχειν. Lib. V, c. 14. τοὺς ξυμμάχους ἅμα ἐδεδίεσαν σφῶν, μὴ-ἀποστῶσι. Lib. I, c. 88. φοβούμενοι τοὺς Ἀθηναίους μὴ ἐπὶ μεῖζον δυνηθῶσιν. Lib. II, cap. 67. δείσαντες τὸν Ἀριστέα μὴ-κακουργῇ. Lib. I, cap. 78. τὸν παράλογον ὅσος ἐστὶ-προδιάγνωτε. Cf. lib. VI, c. 76. init. Ipsam vero sententiam saepius Thucydides protulit, veluti lib. VI, c. 78. οὐ γὰρ οἷόν τε ἅμα τῆς τε ἐπιθυμίας καὶ τῆς τύχης τὸν αὐτὸν ὁμοίως ταμίαν γενέσθαι. Lib. I, c. 122. ἥκιστα γὰρ πόλεμος ἐπὶ ῥητοῖς χωρεῖ, αὐτὸς δὲ ἀφ' αὐτοῦ τὰ πολλὰ τεχνᾶται πρὸς τὸ παρατυγχάνον. Ib. c. 78. μηκυνόμενος γὰρ (πόλεμος) φιλεῖ ἐς τύχας τὰ πολλὰ περιίστασθαι, ὧν ἴσον τε ἀπέχομεν καὶ ὁποτέρως ἔσται ἐν ἀδήλῳ κινδυνεύεται. Sed et sententia et structura simile illud est lib. I, c. 82. πόλεμον οὐχ ὑπάρχει εἰδέναι καθότι χωρήσει. Reliquum est, ut totum locum interpretando breviter omnia comprehendam, quae vel nova ipse proposui vel ab aliis proposita comprobo; sic igitur ait orator Spartanus: Inter moderatos viros quicunque

secundas res inter ambigua tuto ponunt, iidem etiam adversis prudentius occurrant; et de bello qui existimaverint non in tantum, in quantum quis id tractare velit, se eo implicari, sed prout fortunae casus sibi duces fuerint, tales viri etiam, quia nulla rerum bene gestarum fiducia elati minime saepe labuntur, in optimis plerumque rebus suis bellum component.

Lib. V, cap. 61. πρὸς τὸν δῆμον οὐ προσῆγον βουλομένους χρηματίσαι πρὶν ἢ Μαντινῆς καὶ Ἠλεῖοι, ἔτι γὰρ παρῆσαν, κατηνάγκασαν δεόμενοι. Recte Dindorfius ἤ particulam in suspicionem vocavit, quae neque apud Thucydidem alibi nec apud alios vetustiores quidem scriptores Atticos ita cum πρίν particula conjungitur. Nec tamen ἤ deleri velim, sed scribendum videtur πρὶν δή. Sunt enim nisi fallor praeter hunc novem maxime loci apud Thucydidem, ubi πρίν particula cum indicativo constructa est; ex his tres tantum sunt, ubi nudum πρίν legitur, lib I, c. 51. lib. II, c. 65. lib. VIII, c. 105. reliquis sex πρὶν δή legitur lib. I, c. 118. c. 132. lib. III, c. 29. c. 104 extr. lib. VII, c. 39. c. 71.

Lib. V, cap. 63. Νόμον δὲ ἔθεντο ἐν τῷ παρόντι, ὅς οὔπω πρότερον ἐγένετο αὐτοῖς· δέκα γὰρ ἄνδρας Σπαρτιατῶν προσείλοντο αὐτῷ ξυμβούλους, ἄνευ ὧν μὴ κύριον εἶναι ἀπάγειν στρατιὰν ἐκ τῆς πόλεως. Legem hanc tulerunt Lacedaemonii quum irati essent Agidi regi propterea quod non usus erat occasione oblata subjiciendi Argivos, sed induciis in quattuor menses factis discesserat. Quam quidem legem et O. Mueller hist. Dor. vol. II. p. 105. et Poppo ad h. l. negant in rem praesentem tantum latam esse, neque hanc vim esse verborum ἐν τῷ παρόντι; illud tamen

certe concedit Poppo, non valuisse legem per totum bellum. Scilicet quoniam numquam alibi fit mentio ξυμβούλων, qui regi additi essent, jam olim ad Xenoph. Remp. Lacedd. c. XIIII (XIII), 1. pag. 263. contrariam sententiam professus sum, quam quidem, probatam ut videtur etiam C. F. Hermanno in Antiquitt. Gr. publ. pag. 103. cujus viri cl. ego et ingenium amo et auctoritatem facio maximi, nunc novo confirmabo argumento. Accuratius enim si consideremus verba illa: μὴ κύριον εἶναι ἀπάγειν στρατιὰν ἐκ τῆς πόλεως, mihi quidem videtur manifestum esse latere hic aliquod vitium. Urbs enim profecto Sparta est; quis autem crediderit, ullo unquam tempore ante hanc legem latam regem fuisse κύριον ἀπάγειν στρατιὰν ἐκ τῆς πόλεως? Nam neque decernere bellum ipse potuit neque numerum exercitus definire, id quod faciunt ephori; vid. Xenoph. Rep. Lacedd. XI, 1. Itaque dubium non est, quin antea quoque non licuerit regi educere exercitum nisi potestas ei facta esset a populo. Non autem vereor, ne quis illud ἄνευ ὧν μὴ κύριον εἶναι ita intelligat: non licuisse sine decemviris regi discedere ab urbe; nam id dicere vix opus erat, postquam jam ante dictum est προσείλοντο αὐτῷ ξυμβούλους, et vox κύριος haud dubie ad certam aliquam potestatem spectat. Quamobrem statuo corruptam esse vocem πόλεως et scripsisse Thucydidem πολεμίας, ut alibi dixit ἀφορμᾶσθαι ἐκ πολεμίας lib. VII, c. 75. nam reducere exercitum ex hostico quin κύριος antea fuerit rex, dubitari non potest. Atque id ita esse, demonstratur etiam alio argumento certissime; ἀπάγειν enim verbum non dicitur de exercitu, qui primum educitur, non magis quam si latine dicas abducere, vel deducere, vel reducere; sed ἀπάγειν στρατιάν vix aliter usurpatur quam ubi exercitus

ex hostico abducitur; vid. Thuc. lib. I, c. 28. ter. lib. IV, c. 83. c. 135. lib. V, c. 10. 35. 55. 60. 65. lib. VII, c. 3. 4. 42. 48. 49. 73. 80. lib. VIII, c. 15. c. 71. Herodot. IX, 56. Xenoph. Hellen. VI, 5, 20. 21. IV, 5, 8. cf. Schwebel. ad Onosand. strateg. cap. 19. pag. 43.

In simili causa est verbum *ἀφηγεῖσθαι*, quod de rege dicitur, qui se recipit cum exercitu apud Xenoph. Hellen. VI, 5, 18. et ubi simpliciter appellatur *ὁ ἀφηγούμενος*, intelligitur is, qui in redeundo dux est, qui quidem proprie vocatur *οὐραγός*; vehementer igitur erraverunt Weiskius et Schneider ad Xenoph. Hipparch. II, 5. quod *τὸν ἀφηγούμενον* interpretantur *τὸν φύλαρχον*, neque eum errorem correxit Sauppius. Ceterum apparet jam quam probabile sit, legem illam ad Agidem tantum et quod in manibus erat bellum cum Argivis gerendum pertinuisse; nam Agis rex in eo ipso peccavisse putabatur, quod eodem in bello exercitum justo celerius ex hostium terra abduxerat, ut narrat Thuc. paulo ante c. 60. eodem verbo usus: *ἀπήγαγε τὸν στρατόν*. Aliorum vero regum aliis in bellis potestatem imperatoriam eadem lege circumscribere, contumeliosum erat et alienum ab regum antiqua majestate, qui in bellis semper duces *αὐτοκράτορες* fuissent.

Haud absimile vitium ei, quod modo sustuli, haeret

Lib. V, cap. 110. *καὶ οὐ περὶ τῆς μὴ προσηκούσης μᾶλλον ἢ τῆς οἰκειοτέρας ξυμμαχίδος τε καὶ γῆς ὁ πόνος ὑμῖν ἔσται.* Nam corrupta esse illa *ξυμμαχίδος τε καὶ γῆς*, consentiunt omnes, sed quae adhuc propositae sunt emendandi rationes, vereor ne frustra sint; et recte videtur jam Poppo improbasse quod Dukerus cum Bredovio *καί*, Haackius cum Goellero *καὶ γῆς* deleri voluerunt, quod Kistemakerus et

Benedictus τὲ καί ponenda censent ante ξυμμαχίδος, quod Bloomfieldus pro τὲ καί scribendum conjecit τῆς. Ipse vero Poppo violentius etiam aut omnia haec ξυμμαχίδος τε καὶ γῆς delenda statuit tamquam nata ex aliquo scholio, aut ΓΗΣ ortum esse ex ΙΔΙΑΣ per compendium scripto; in qua conjectura scire velim, quale sibi Poppo compendium vocis ἰδίας aut noverit aut finxerit, de quo haud facile quemquam habebit assentientem, qui libros mss. tractaverit. Ceterum facillima est emendandi ratio; scribendum enim est ξυμμαχίας τε καὶ γῆς, quae et mutatio lenissima est et sententia aptissima. Ita enim disputant Melii, merito se magnam fiduciam ponere in cognatis suis Lacedaemoniis; nam etiamsi forte neque ipsi illi in Melum insulam suae defensionis causa trajicere neque alios mittere possint, illud tamen effecturos esse, ut Athenienses suae potius terrae veteribusque sociis timeant quam ut de novis terris novisque sociis acquirendis cogitent; τράποιντ' ἂν καὶ ἐς τὴν γῆν ὑμῶν καὶ ἐπὶ τοὺς λοιποὺς τῶν ξυμμάχων, ὅσους μὴ Βρασίδας ἐπῆλθε. haec igitur terra et societas οἰκειοτέρα est quam illa μὴ προσήκουσα, quam non jam habent sed occupare student; cf. c. 96. lib. VI, c. 9.

Lib. V, cap. 111. ἐνθυμεῖσθε πολλάκις ὅτι περὶ πατρίδος βουλεύεσθε, ἣν μιᾶς πέρι καὶ ἐς μίαν βουλὴν τυχοῦσάν τε καὶ μὴ κατορθώσασαν ἔσται. Tot sunt et tam variae de hoc loco virorum doctorum conjecturae, ut paene temerarium esse videatur addere aliam, quae non admodum speciosa sit; neque ego mea ita delector, ut eam unam veram esse existimem. Sed tamen quoniam nova quadam ratione difficultatem tollere conatus sum, si ipse non inveni quod quaeritur, fieri tamen poterit ut alius meis vestigiis insistens felicior sit. Ego enim verbum aliquod deesse ratus,

pro ἣν μιᾶς πέρι καί, in quibus vocibus vitium aliquod haerere manifestum est, sic scripserim: ἣν ὑμᾶς περιποιῆσαι. quo facto ad sententiam quidem absolvendam nihil admodum desideraveris, quam sic fere exponam: **Considerate saepe, de patria vos consultare, quam ut servetis, in una consultatione, prout ea aut felix fuerit aut rem male gesserit, positum erit.** Nam illud quidem ἐς μίαν βουλὴν ἔσται quamquam ita alibi non dicitur, non tamen abhorrere videtur a Thucydidis ingenio; deinde voces τυχοῦσάν τε καὶ μὴ κατορθώσασαν manifesto non ad ἣν pertinent, sed ad βουλήν, et opponuntur ita inter se ut lib. II, c. 65. κατορθούμενα μὲν — σφαλέντα δέ —. Et ne in τὲ καὶ particulis offendas, conferendus est locus ille, cujus etiam Bloomfieldum memorem fuisse video, lib. II, c. 35. μὴ ἐν ἑνὶ ἀνδρὶ πολλῶν ἀρετὰς κινδυνεύεσθαι εὖ τε καὶ χεῖρον εἰπόντι πιστευθῆναι. Quod alii correxerunt ἧς μιᾶς πέρι, quamquam leniorem habet mutationem, non tamen aptum videtur; nullam enim aliam nisi de salute sua consultationem superesse Meliis tam studiose inculcaverant Atheniensės c. 87. 91. 101. 105. 111. vix ut abesse possit aliqua hoc loco salutis mentio, quam haud absurde verbo περιποιῆσαι fieri opinor, de quo cf. Thuc. lib. III, c. 102. lib. IV, c. 105. lib. VI, c. 104. lib. VIII, c. 48. Praeterea unam patriam cum una consultatione componere frigidi acuminis est; nemo enim plures patrias habet. Facilius tolerem, si Meliorum patria una esse propterea dicatur, quod insula est, quae effugia non habeat; sed ita tale quid addi debebat, et possis sane περιῤῥύτου scribere, quemadmodum Hermocrates supra cap. 64. Graecos Siciliam incolentes appellavit ξυνοίκους μιᾶς χώρας καὶ περιῤῥύτου. sed is cur ita diceret longe diversam habuit causam.

Lib. VI, cap. 78. καὶ εἴ τῳ ἄρα παρέστηκε τὸν μὲν Συρακόσιον, ἑαυτὸν δ' οὐ πολέμιον εἶναι τῷ Ἀθηναίῳ καὶ δεινὸν ἡγεῖται ὑπέρ γε τῆς ἐμῆς κινδυνεύειν, ἐνθυμηθήτω οὐ περὶ τῆς ἐμῆς μᾶλλον, ἐν ἴσῳ δὲ καὶ τῆς ἑαυτοῦ ἅμα ἐν τῇ ἐμῇ μαχούμενος — τόν τε Ἀθηναῖον μὴ τὴν τοῦ Συρακοσίου ἔχθραν κολάσασθαι, τῇ δ' ἐμῇ προφάσει τὴν ἐκείνου φιλίαν οὐχ ἧσσον βεβαιώσασθαι βούλεσθαι. **Postrema hujus loci verba quin mendosa sint dubitari nequit, quorum quam variae sint propositae explicationes, enarravit Poppo, qui tamen et ipse aliquod vitium suspicatur. Nec magis sufficiunt emendationes, quamquam** δουλείαν **si scribas cum Reiskio et Didoto pro** φιλίαν, **aut** βιάσασθαι **cum Dobreo et Poppone pro** βεβαιώσασθαι, **sententia quidem apta aut certe tolerabilis efficitur. Ego vero illud ante omnia teneo, quod pro** οὐχ **ante** ἧσσον **legitur** οὕς **in codd. novem; qua scriptura hoc primum efficitur, ut, quicquid de verbis ultimis statuamus, priora certe** τῇ δ' ἐμῇ προφάσει τὴν ἐκείνου φιλίαν **recte interpretemur; repetendum enim ad ea ex praecedentibus est verbum** κολάσασθαι, **quo nihil aptius fieri posse, facile intelligitur. Nam quod praecipue agit Hermocrates, ut suspectos faciat Athenienses Camarinaeis· Syracusanorum sociis, id ita facit, ut non tam inimicitiam Syracusanorum sed magis etiam ceterorum in eos Siculorum amicitiam puniri et coërceri ab Atheniensibus demonstret. Hanc igitur explicationem equidem censeo esse et verissimam et certissimam; superest ut reliqua verba expediantur, quod si minus recte succedit, non tamen ideo de illa dubitandum existimo. Et sane equidem non satis reperio quid faciam his:** οὓς ἧσσον βεβαιώσασθαι βούλεσθαι. **Interim donec alius erit felicior, sic statuo. Pronomen** οὕς, **quod a codicum numero et praestantia**

satis firmatum est, retineo, in quo, quoniam antea Syracusani et reliqui Siculi separatim sunt singulari numero appellati, probabile est utrosque nunc simul comprehendi. Quod si ita est, apparet sequentibus verbis contineri id, quod Athenienses utrisque simul fieri cupiunt; id autem quale sit non obscurum est; nolunt Athenienses Siculos conjunctis cum Syracusanis viribus potentes fieri. In quam sententiam desideraveris non βεβαιώσασθαι sed βεβαιωθῆναι. Illud enim dici in rebus, quas quis sibi ipsi firmare studet, Bloomfieldus aliorum scriptorum locis demonstrat, pro quibus melius erat afferre illos Thucydidis lib. IV, c. 70 extr. lib. VI, c. 10. et c. 34. Sed cogitandum est, ne passivam quidem vocem admodum aptam esse, in qua nulla est mutui auxilii significatio; hoc autem volunt, ne Syracusani et reliqui Siculi inter se adjuvent et confirment; atque id media voce significari quamquam non potest Thucydidis aliquo exemplo demonstrari, tamen, opinor, non contra linguae Graecae ingenium statuitur. Denique infinitivum βούλεσθαι facile quispiam commutet in βούλεται, qualis mutatio quamquam haud infrequens est, non tamen videtur hoc loco necessaria esse, si quidem hic infinitivus pariter atque praecedens κολάσασθαι pendere potest ab ἐνθυμηθήτω; non enim rarum est neque apud alios, neque apud Thucydidem, infinitivum post particulas aut pronomina relativa poni. Vid. intptt. ad lib. I, c. 91. ὅσα βουλεύεσθαι. ad lib. II, c. 102. ὅτε δὴ ἀλᾶσθαι. Popp. prolegg. I. p. 145 seq. quae structura quoniam minus peritis librariis obscura fuit haud dubie, uti fuit etiam H. Stephano, facile potuit movere aliquem, ut οὐχ scriberet pro οὕς. Quod si restituatur, possim mihi videri rem praeclare gessisse, qui difficillimi loci sententiam aptam eruerim nulla littera mutata; haeret

tamen aliqui scrupulus, nec ego affirmaverim locum plane persanatum esse.

Lib. VIII, cap. 6. Πρασσόντων δὲ ταῦτα χωρὶς ἑκατέρων, τῶν τε ἀπὸ τοῦ Φαρναβάζου καὶ τῶν ἀπὸ τοῦ Τισσαφέρνους, πολλὴ ἅμιλλα ἐγίγνετο τῶν ἐν τῇ Λακεδαίμονι, ὅπως οἱ μὲν ἐς τὴν Ἰωνίαν καὶ Χίον, οἱ δ' ἐς τὸν Ἑλλήσποντον πρότερον ναῦς καὶ στρατιὰν πείσουσι πέμπειν· οἱ μέντοι Λακεδαιμόνιοι τὰ τῶν Χίων καὶ Τισσαφέρνους παρὰ πολὺ προσεδέξαντο μᾶλλον. Quaeritur in hoc loco, qui sint illi homines, qui significantur vocibus τῶν ἐν τῇ Λακεδαίμονι. Atque usum quidem Thucydidis si spectamus, οἱ ἐν τῇ Λακεδαίμονι erunt omnes quotquot iu urbe sunt sive Lacedaemonii sive peregrini; et maxime quidem Lacedaemonii; nam ita etiam lib. V, c. 43. οἱ ἐν ταῖς Ἀθήναις sunt cives Athenienses. Ipsos vero Lacedaemonios intelligere non licet, id quod satis demonstrant verba sequentia οἱ μέντοι Λακεδαιμόνιοι, quippe qui manifesto distinguuntur ab illis, qui sunt οἱ ἐν τῇ Λακεδαίμονι. Quamobrem rectius Hier. Mueller et Haackius in edit. II. hos esse statuunt peregrinos legatos, qui Pharnabazi et Tissaphernis nomine agunt; sed id dictum oportuit τῶν ἐν Λακεδαίμονι πρέσβεων; vid. lib. V, cap. 44. Poppo tamen in hac ratione plane inutilia esse censet verba illa τῶν ἐν τῇ Λακεδαίμονι, eamque ob causam non legatos solum sed simul etiam Alcibiadem aliosque praesentes intelligi vult; atqui praesentes opinor etiam Lacedaemonii sunt, de quibus non agitur. Quamobrem quum illa sententia ob verborum usum, haec ob ordinem narrationis probari non possit, equidem necesse esse arbitror scribere πολλὴ ἅμιλλα ἐγίγνετο αὐτῶν ἐν τῇ Λακεδαίμονι; nam neque aliter fieri potest, ut soli Persarum legati intelligantur, neque aliis profecto illa πολλὴ ἅμιλλα tribuitur quam his, qui χω-

ρὶς ἑκάτεροι agunt, quamquam ejusdem Persarum regis rebus studentes. Ceterum scripturae illo vicio, quod mihi sustulisse videor, nihil frequentius est.

Lib. III, cap. 46. τοὺς μὲν γὰρ ξυγκαταδουλοῦν ἂν σφίσι τε αὐτοῖς τὸ τῆς θαλάσσης μέρος καὶ ἐκείνῳ ὅσοι ἐν τῇ βασιλέως Ἕλληνες οἰκοῦσι, τοὺς δὲ τοὐναντίον ἐλευθερώσοντας ἥκειν. Suasit Tissapherni Alcibiades, ne societatem inter Lacedaemonios et Athenienses fieri pateretur., neve conjungi terrae marisque imperium, sed alteros foveret, quo utrique inter se destruerent. Commodiores autem ei socios Athenienses fore, quod neque terrestre imperium affectarent, neque libertatem ceteris Graecis parare studerent, sed una cum Persis omnia in servitutem redacturi essent, ita quidem, ut maritimum imperium sibi reservarent, terrestre vero Persis permitterent. Quamobrem quoniam ita haec inter se opponuntur, scribendum est ἐν γῇ βασιλέως pro ἐν τῇ. de eadem confusione vid. Pflugk. adn. crit. ad Eurip. Heracl. 141. et notum est quam facile quamque freqnenter τ et γ litterae commutentur, cujus rei aliud exemplum addam, paulo quidem difficilius propterea quod in eo duabus etiam aliis mutationibus utendum est neque iis tamen minus frequentibus; nam et ι saepissime pro η scribitur, et α in vetustioribus quidem libris eandem fere formam habet cum ευ, quo fit, ut apud Thucyd. lib. IV, c. 18. pro εὐξυνετώτερον in cod. Lugdun. sit ἀξυνετώτερον. item lib. II, c. 89. ἄτακτοι in cod. Vindob. pro εὔτακτοι. lib. VIII, c. 66. ἀπρεπὲς in cod. Graev. pro εὐπρεπές. lib. V, c. 16. pro ἐνθυμίαν quattuor codd. habent εὐθυμίαν, unde in duobus Pariss. ortum ἀθυμίαν; et contra lib. VII, c. 34. pro ἄπλοι cod. Paris. h. habet εὔπλοι et ibidem paulo post pro ἄπλους cod. Paris. i. habet εὔπλους. Apud Heronem

in Pneumatt. lib. I, pag. 159. ed. Paris. pro εὐλύτως in quattuor codd. vidi ἀλύτως scriptum, in uno ἀλύτος, in uno etiam εὐαλύτως. haec sufficiunt; plurima enim proferri posse sciunt quibus aliquis veterum librorum usus est. Tribus igitur his adhibitis mutationibus vocem restituo mirum in modum corruptam, in qua emendanda frustra laborarunt critici; in Gorgiae enim quodam ex orat. funeb. fragmento, quod apud scholiasten ad Hermog. περὶ ἰδεῶν lib. II, c. 9. servatum ex ed. Ald. tom. II. pag. 412. protulit vir doctissimus mihique amicissimus C. Schoenborn in dissertat. de Authentia declamatt. quae Gorgiae Leontini nomine exstant (Vratisl. 1826.) pag. 8. leguntur haec: θεράποντες μὲν τῶν ἀδίκως δυστυχούντων, κολασταὶ δὲ τῶν ἀδίκως εὐτυχούντων, αὐθάδεις πρὸς τὸ συμφέρον, ἀόρτιτοι πρὸς τὸ πρέπον, τῷ φρονίμῳ τῆς γνώμης παύοντες τὸ ἄφρον. Pro ἀόρτιτοι Hardion ἀήττητοι scribendum conjecit, Geelius ἄρτιοι, quorum neutrum probat Schoenborn; ego scribo εὐόργητοι, de qua voce vid. Thucyd. lib. I, c. 122. et Valcken. ad Eurip. Hippol. v. 1035.

Lib. VIII, cap. 71. Ὡς δὲ προσέμιξέ τε ἐγγὺς καὶ οἱ Ἀθηναῖοι τὰ μὲν ἔνδοθεν οὐδ' ὁπωστιοῦν ἐκίνησαν, τοὺς δὲ ἱππέας ἐκπέμψαντες καὶ μέρος τι τῶν ὁπλιτῶν καὶ ψιλῶν καὶ τοξοτῶν ἄνδρας κατέβαλον αὐτῶν διὰ τὸ ἐγγὺς προσελθεῖν καὶ ὅπλων τινῶν καὶ νεκρῶν ἐκράτησαν, οὕτω δὴ γνοὺς ἀπήγαγε πάλιν τὴν στρατιάν. Agitur hoc loco de Agide rege, qui quum quadringenti viri Athenis rerum potiti pacis spem ostendissent, ipse cum Deceleae praesidio alioque magno exercitu ex Peloponneso accito prope Athenas accessit, summa quaeque sperans; nam aut ipsam urbem vel sine certamine capi posse rebatur, aut certe longos muros quin poteretur minime dubium esse. In

quibus rebus vehementer eum spes fefellit; nam neque tumultus ullus in urbe ortus est, et progressi etiam Athenienses extra urbem strenue hostem propulsarunt. Quae quum ita sint, quid dicemus Agidem cognovisse quod in illo γνούς intelligatur? Scilicet quum alia participia multa sic sine accusativo dicantur, veluti ἀκούσας lib. I, c. 147. III, 92. VIII, 73. 75. πυθόμενος lib. VIII, c. 35. c. 62. προπυθόμενος lib. VII, c. 32. ἰδών lib. IV, c. 25. αἰσθόμενος lib. I, c. 118. 126. 131. 134. lib. II, c. 25. 76. lib. VIII, c. 44. 73. 80. 104. προαισθόμενος lib. I, c. 136. lib. VIII, c. 16. tum vero γνούς imprimis frequens est; vid. lib. I, c. 91. 106. lib. III, c. 28. 78. lib. IV, c. 14. 128. lib. VII, c. 4. lib. VIII, c. 12. 104. Sed in omnibus his locis aliisque multis, quibus indicatis nihil opus est, facillime intelligitur, quae sit illa res, qua quis audita vel cognita aliquid facit; quod in hoc loco contra est; accedit quod neque γιγνώσκειν verbum admodum apte dicitur in re, quae oculis cernitur, et si vel maxime putemus propterea dici Agidem reduxisse exercitum, quod cognoverit inopinatam illam Atheniensium virtutem, tamen jam satis id vocibus οὕτω δή declarari manifestum est, de quibus cf. lib. VIII, c. 99. Quibus de causis videtur mihi γνούς participium stare non posse, et scripsisse arbitror Thucydidem ἀπογνούς, i. e. re desperata. Ipsa autem correctio haec non debet violenta videri; excidere enim facile praepositio potuit, praesertim quum eadem sit in verbo sequente Talis enim similitudo ut perit saepe omissa aliqua syllaba, ita oritur etiam haud raro eadem repetita. E quo genere illud esse credo quod legitur lib. V, c. 6. κατεφαίνετο πάντα αὐτόθεν, ὥστε οὐκ ἂν ἔλαθεν αὐτόθεν ὁρμώμενος ὁ Κλέων. nam alterum hoc αὐτόθεν haud dubie vitiosum est, quod

sive cum ἔλαθεν jungemus, id quod Popponi placuit nec tamen commode fieri potest, certe superfluum videri debet, sive cum ὁρμώμενος jungemus, de alio loco intelligendum erit quam prius αὐτόθεν, id quod tolerabile non est; accedit quod eadem vox tam exiguo intervallo bis posita, etiamsi commodius intelligi possit, haud exiguam tamen offensionem habet. Quare quoniam alterum hoc αὐτόθεν in tribus codd. Paris. deest, potest id sane omittendum videri, uti visum est Popponi, nisi probabilius esset, ob praecedentis vocis ἔλαθεν terminationem αὐτόθεν corruptum esse ex αὐτόν, quod item legitur in cod. Graev. et Camerar. et est commodissimum; nam hoc semel corrupto facile aliquis librarius superfluum alterum αὐτόθεν ratus omittere potuit. Ceterum saepius etiam accidit ut ubi cum duabus praepositionibus verbum compositum est, ex iis altera omittatur; cujus rei exemplo esse potest locus ille lib. V, c. 7. καὶ οἴκοθεν ὡς ἄκοντες αὐτῷ ξυνῆλθον, ubi quum ξυνεξῆλθον necessario scribendum esse vidissem, postea idem Dobreo in mentem venisse intellexi. Ceterum ξυνεξῆλθον unum aptissimum est in exercitu illo, de quo paulo post dixit Thuc. cap. 8, τῶν γὰρ Ἀθηναίων ὅπερ ἐστράτευε καθαρὸν ἐξῆλθε. et ξυνεξῆλθε rursus legitur lib. VIII, c. 61. ubi item in decem codd. mss. est ξυνῆλθε. Eodem modo συμπίπτειν et συνεισπίπτειν haud raro inter se permutantur; vid. Thuc. lib. IV, c. 57. lib. V, c. 3. lib. VI, c. 100. Abresch. Dilucidd. Thucyd. pag. 656. Valcken. et Schweigh. ad Herodot lib. IX, c. 102 et quae ego aliquando, ut spero, commentabor ad Polyaen. strategg. lib. II, cap. 35 extr. Eodem loco ad lib. II, c. 3, 8. agetur de permutatis vocibus προκείμενον vel προσκείμενον et προσυγκείμενον. Apud Thucydidem vero lib. III, cap.

108. mihi quidem non recte videtur nunc ἐξῆλθον e paucioribus libris scribi pro eo quod antea erat ἐπεξῆλθον, cujus verbi usum et Cassii Dionis exemplo defendit Bloomfieldus et comprobant loci Thuc. lib. III, c. 26. lib. IV, c. 14. lib. V, c. 9. c. 100. Sed ut ad superiorem illum locum lib. VIII, c. 71. redeam, non satis recte arbitror Popponem in eo ἄνδρας dictum putare pro τινάς; non enim obscurum est ἄνδρας opponi ὅπλοις et νεκροῖς, et quod provocat ad Bergmannum, qui de eo usu egit ad Isocrat. Areop. p. 150. ed. Bensel., equidem satius duco ipsius usum Thucydidis observare, qui similiter dixit lib. V, c. 115. εἷλον δὲ καὶ οἱ Μήλιοι τοῦ περιτειχίσματος τὸ κατὰ τὴν ἀγοράν - καὶ ἄνδρας τε ἀπέκτειναν καὶ ἐσενεγκάμενοι σῖτόν τε καὶ ὅσα πλεῖστα ἐδύναντο χρήσιμα ἀναχωρήσαντες ἡσύχαζον. Cf. lib. I, c. 67. lib. II, c. 33. lib. VII, c. 43, et ubi non de militibus sed de civibus agitur lib. VI, c. 10. οὕτω γὰρ ἐνθένδε τε ἄνδρες ἔπραξαν αὐτὰ καὶ ἐκ τῶν ἐναντίων. Jb. c. 38. lib. VIII, c. 60. ξυνέπραξαν δὲ Ἐρετριέων ἄνδρες. Cf. lib. I, c. 107. lib. III, c. 2.

Caput VI.

De emendationibus, quae fiunt vocibus vel omittendis vel addendis.

In libris mss. quamquam creberrimum hoc est vitiorum genus, quod voces temere vel omissae vel additae sunt, tamen corrigere talia difficillimum est et maxime anceps. Nam ubi plures simul voces omissae sunt, id quod fit plerumque, ubi non nimio interjecto intervallo repetita est eadem vox aut alia similis subsequitur, sententia quidem ipsa haud raro qualis fuerit intelligitur, verba vero vix fieri poterit ut certa aliqua ratione restituantur. Veluti apud Thucyd. lib. VIII, c. 76. nullum mihi dubium est quin pluribus omissis vocibus mendosus sit locus ille: *καὶ δι᾽ ἑαυτούς τε ἐν τῇ Σάμῳ προκαθημένους καὶ πρότερον αὐτοὺς κρατεῖν τοῦ ἐς τὸν Περαιᾶ ἔσπλου, καὶ νῦν ἐς τοιοῦτον καταστήσονται.* In quo loco hoc unum probabile esse dixerim, quae exciderunt, post voces *καὶ νῦν* excidisse; et sententiam quidem aptam perficiemus, si sic fere scribamus: *καὶ νῦν πάντα ἔχειν, οἷς ἐς τοιοῦτον καταστήσονται.* Atque excogitare etiam licet aliquam rationem, in qua potuerit librarii oculus ab illis *καὶ νῦν* ad similem vocem aberrare, veluti

κοινόν; et si superiora reputamus, addi haec fere poterunt: *καὶ νῦν ἔτι μᾶλλον ἐλπίδα εἶναι, ὡς προσλαβόντες καὶ τὸ τῶν Σαμίων κοινὸν ἐς τοιοῦτον καταστήσονται.* Sed haec atque talia omnia, ut Thucydidiis verbis dicam, *ἐν ἀδήλῳ κινδυνεύεται.* Quis enim, ut unum de multis aliud exemplum proferam, conjectura se speret vel lacunam indagare vel verba omissa addere posse in hoc loco Bitonis de machinis pag. 106. lin. 30. ed. Paris. *ἐπὶ δὲ τοῦ ἄνω κανόνος τοῦ τετάρτου ἔστω σφενδόνη [ἀπέχουσα ἀπὸ τῶν κανόνων τῶν ᾱ β̄ ἐξ ἑκατέρου ποδὸς τὸ ἥμισυ· ἔστω δὲ ἡ σφενδόνη] τριχίνη, δυναμένη βαστάζειν τὸν ἐπιτιθέμενον πέτρον.* In quibus quae uncis inclusi, desunt in una quam habemus ed. Paris., sed a me e codd. mss. restituentur, ut ejusmodi multa alia in scriptoribus mechanicis et tacticis. Atque in illo quidem loco manifesta est causa vitii; minus insignis est apud Philonem in Belop. pag. 71. ed. Paris. *ὤφθη γὰρ ἡ τῶν προειρημένων λεπίδων ἐργασία διὰ τῶν Κελτικῶν· καὶ Ἱσπανῶν καλουμένων μαχαιρῶν· ταύτας γὰρ ὅταν βούλωνται δοκιμάζειν, εἰ χρησταί εἰσιν, ἐπιλαβόμενοι τῇ μὲν δεξιᾷ χειρὶ [τῆς λαβῆς, τῇ δὲ ἄλλῃ τοῦ ἄκρου] τῆς μαχαίρας καὶ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν θέντες πλαγίαν αὐτὴν κατάγουσιν ἐξ ἑκατέρου μέρους, ἕως ἂν τῶν ὤμων ἅψωνται.* Talia qui consideraverit, haud facile hoc sibi sumet, ut certa fide verba plura omissa restituat. Facilius tamen atque certius est unam aliquam vocem addere, cujus omittendae frequentior est occasio, quum aut eadem bis ponenda est, aut similis similem sequitur. Ex illo genere exemplum est apud Athenaeum veterem illum mechanicum in libro paucis cognito de machinis, in quo pag. 5. lin. 10. ed. Paris. leguntur haec: *Τὸ δὲ τρύπανον χελώνην μὲν τὴν αὐτὴν τῷ κριῷ λαμβάνει καὶ πᾶσαν τὴν κατασκευὴν ὁμοίως ἔχουσαν.*

Sed in codd. mss. omnibus, contuli autem non minus undecim, post λαμβάνει additur δέ particula; quamobrem dubitandum non est, quin scribendum sit: τὸ δὲ τρύπανον χελώνην μὲν τὴν αὐτὴν τῷ κριῷ λαμβάνει. λαμβάνει δὲ καὶ πᾶσαν τὴν κατασκευὴν ὁμοίως ἔχουσαν. Apud Thucydidem vero talia nec multa repperi nec admodum insignia nec etiam ejusdem omnia generis; sunt enim saepe etiam aliae omittendi causae quam vocum similitudines. Et lib. II, c. 17. num ᾗ ᾗ προσεδέχοντο scribendum sit pro ᾗ προσεδέχοντο ipse dubito; malim tamen illud propterea, quod saepe solet Thuc. dicere ᾗ προσεδέχετο. Item lib. I, c. 123. scriptum malim: περὶ δὲ τῶν ἐσέπειτα μελλόντων pro eo quod vulgatum est: περὶ δὲ τῶν ἔπειτα μελλόντων; cf. ib. c. 130.; nihil tamen affirmo; debet enim consuetudo Thucydidis diligentius observari. Sed paulo certius mihi est, lib. VIII, c. 105. sic scribendum esse: γνόντες δὲ οἱ περὶ τὸν Θρασύβουλον, τὰς τὰ ἐπὶ σφίσι ναῦς ἐπεχούσας παυσάμενοι τῆς ἐπεξαγωγῆς ἤδη τοῦ κέρως καὶ ἐπαναστρέψαντες εὐθὺς ἠμύναντό τε καὶ τρέπουσι καὶ τὰς κατὰ τὸ νικῆσαν τῶν Πελοποννησίων μέρος ὑπολαβόντες πεπλανημένας ἔκοπτόν τε καὶ ἐς φόβον τὰς πλείους ἀμαχεὶ καθίστασαν. Nam participium ἐπεχούσας non posse ita intelligi, ut sint naves cursum inhibentes, satis jam demonstratum est ab Arnoldo. Sed ipse Arnoldus quam proposuit explicandi rationem, probatam illam a Poppone, vereor ne et ipsa improbabilis sit; ἐπέχειν enim interpretari volunt ex uno loco Herodoti lib. IX, c. 59. ubi ἐπέχειν ἐπὶ Λακεδαιμονίους diversa constructione sententiaque diversa dicuntur Persae, qui Lacedaemonios fugientes persequuntur, ita ut eorum vestigia legant; hic vero ἐπὶ σφίσιν ἐπέχειν videntur illi interpretari: infestum advehi contra eos, quod licere aliis exemplis de-

monstrandum erat; nam quae verba Poppo affert ex Schneideri lexico petita nullo addito auctoris nomine: ἐπεχούσας ναῦς πρὸς τὴν Πελοπόννησον, iis naves significari arbitror quae littus tenent. Non tamen dubito, quin afferri potuerint etiam speciosiores loci, veluti ille Eurip. Heracl. 847. Εὐρυσθέως πώλοις ἐπεῖχε et Plut. Pyrrh. c. 16. ἄνδρα κατιδὼν Ἰταλὸν ἐπέχοντα τῷ Πύῤῥῳ καὶ τὸν ἵππον ἀντιπαρεξάγοντα. Sed in his quoque et constructio verbi diversa est, et significatio; recte enim ibi intelligitur homo intentus in alterum, in quem unum vel currum vel equum dirigit omissis reliquis omnibus, et quem ubique et mente et oculis sequitur, id quod ap. Plut. verba sequentia docent. Quamobrem quoniam Arnoldi illa et Popponis ratio ne alii quidem ulli vel diversae aetatis scriptori adhiberi tuto potest, profecto magis etiam debet videri a Thucydidis usu abhorrere, apud quem ἐπέχειν verbum haud raro in describenda acie usurpatum in hanc semper sententiam dicitur, ut sit obtinere aliquem locum sive in terrestri acie sive in navali Vid. lib. I, c. 48. ἀντιπαρετάσσοντο, ἐπὶ μὲν τὸ δεξιὸν κέρας Κερκυραίων αἱ Ἀττικαὶ νῆες, τὸ δὲ ἄλλο αὐτοὶ ἐπεῖχον. Ib. c. 50. πολλῶν γὰρ νεῶν οὐσῶν ἀμφοτέρων καὶ ἐπὶ πολὺ τῆς θαλάσσης ἐπεχουσῶν, οὐ ῥᾳδίως τὴν διάγνωσιν ἐποιοῦντο. in quibus ἐπὶ πολὺ τῆς θαλάσσης pro accusativo dici notum est. Lib. III, cap. 107. ᾖεσαν ἐς χεῖρας, Δημοσθένης μὲν τὸ δεξιὸν κέρας ἔχων —, τὸ δὲ ἄλλο Ἀκαρνᾶνες ὡς ἕκαστοι τεταγμένοι ἐπεῖχον. Lib. VII, c. 62 extr. τῆς γῆς πλὴν ὅσον ἂν ὁ πεζὸς ἡμῶν ἐπέχῃ, πολεμίας οὔσης. Ex his igitur locis et si qui alii sunt ejusdem generis planum fieri arbitror etiam illic ἐπέχειν eodem modo dictum esse; quod si ita est, scribi debet τὰ ἐπὶ σφίσι vel etiam τὸ ἐπὶ σφίσι; accusativo enim careri non potest; ἐπὶ

σφίσι vero dictum est ut alibi κατὰ σφᾶς de acie adversa. Praeterea ad explicandam totius loci sententiam illud addo, participium γνόντες, de quo recte jam alii statuerunt, non conjungendum esse cum sequente accusativo τὰς ναῦς, sed accusativi loco intelligi ea, quae paulo ante dicta sunt, cujus usus exempla supra attuli cap. V. ad lib. VIII, c. 71. Deinde participium ὑπολαβόντες quomodo intelligi voluerit Poppo non satis declaravit; quae enim Bauer ponit verbi ὑπολαμβάνειν exempla lib. I, c. 68. et c. 121. ea alienissima esse pronunciat, deinde Dobrei verbis delegat ad lib. VI, c. 28. ibi rursus Dobrei sententiam de corrigendo loco refutat et ὑπολαμβάνειν explicat excipere, arripere; agitur enim de criminibus, quae in Alcibiadem conferuntur; in quam sententiam rursus Dobreus alienissima et diversissima exempla attulit et hoc, de quo agimus, et lib. V, c. 49. ubi ὑπολαμβάνειν est excipere in respondendo; denique Herodot. VI, c. 27. ubi dicitur de iis, quos Delphis domum revertentes in itinere morbus pestilens intercipit; quod quidem proxime accedit ad Baueri exempla a Poppone improbata. His igitur quomodo uti voluerit et quid comprobaverit, viderit ipse. Ego interim ὑπολαμβάνειν interpretor intercipere, in quam sententiam haud aliena sunt Baueri exempla, quibus addi etiam possit aliud lib. VI, c. 58. Scilicet fugato sinistro Peloponnesiorum cornu liberum Atheniensibus fuit deinceps mediam aciei partem invadere, eamque deprehenderunt ab illo auxilio nudatam. Quod conjecit Dobreus et quod mihi quoque in mentem venerat ἀπολαβόντες scribere, minus videtur aptum esse propterea quod non ipsum impetum ab Atheniensibus factum significat, sed nudatam modo et ab sinistro

cornu abruptam mediam aciem, id quod citra impetum fieri potest. Ceterum ἀπό et ὑπό permutantur frequentissime, atque id et supra jam adhibui Athenaei cuidam loco, quem tractavi c. II, ad lib. VIII, c. 23. et nunc Thucydidis alii loco adhibeo qui est

lib. V, cap. 31. Βοιωτοὶ δὲ καὶ Μεγαρῆς τὸ αὐτὸ λέγοντες ἡσύχαζον, περιορώμενοι ὑπὸ τῶν Λακεδαιμονίων καὶ νομίζοντες σφίσι τὴν Ἀργείων δημοκρατίαν - ἧσσον ξύμφορον εἶναι τῆς Λακεδαιμονίων πολιτείας. Quid sit illud περιορώμενοι ὑπὸ τῶν Λακεδαιμονίων nondum ita interpretes explicaverunt, ut et res ipsa, quae narratur et usus Thucydidis exigit. Nam περιορᾶσθαι non posse hoc loco esse pro contemni, satis jam alii demonstraverunt; quamobrem Arnoldus cum Duca et Poppone alteram ejus verbi significationem adhibent, haud illam quidem infrequentem apud Thucydidem, neque tamen recte ab iis expositam; non enim est studiose aliquem observare et colere, sed potius dubium circumspectare, rei alicujus eventum expectare. Itaque id haud facile de hominibus dicitur, sed magis de rebus; sed etiamsi id hoc loco ita de Boeotiis dictum accipiamus, ut hi quid facturi sint expectari et circumspici ab Lacedaemoniis intelligantur, non aptum id erit in rem propositam; neque enim ea causa est, cur foedus cum Argivis facere dubitent. Praeterea in ea ratione περιορώμενοι pro passivo accipitur, quod fieri posse negavit Arnoldus, affirmavit Poppo; et Arnoldus quidem ideo pro medio accepit, ὑπό autem cum ἡσύχαζον conjunxit, ut Boeotii vi et opera Lacedaemoniorum quiescere intelligantur. Poppo quum id non apte fieri recte intellexisset, eo confugit, ut περιορώμενοι pro passivo acciperet, licere id ratus propterea, quod lib.

IV, c. 71. reperiatur forma activa περιιδεῖν; qua in re magnopere eum ratio fefellit; non enim eo quisquam argumento uti poterit, nisi demonstraverit, non περιιδεῖν solum dici sed etiam περιιδέσθαι; nam aoristi forma ut aliam radicem, ita etiam aliam legem videtur habere. Quare satis equidem constare arbitror, περιορώμενοι Thucydidi non pro passivo, ne hoc uno quidem loco usurpatum esse, praesertim quum id conjunctum sit cum ἡσυχάζειν verbo, uti plerumque Thucydides eos appellat περιορωμένους, qui dum eventum speculantur, rebus gerendis parumper abstinent, uti sunt Megarenses περιορώμενοι, ὁποτέρων ἡ νίκη ἔσται lib. IV, c. 73. et alii πρότερον περιορώμενοι dicuntur, qui antea nihil egerunt de eventu belli dubitantes, deinde vero et ipsi alteros adjuverunt; vid. lib. VI, c. 103. lib. VII, c. 33. quamobrem ut hic Boeotii dicuntur περιορώμενοι ἡσυχάζειν, ita inversa structura Megarenses ἡσυχάσαντες τὸ μέλλον περιιδεῖν lib. IV, c. 71. et Lacedaemonii μέλλοντες ἔτι καὶ περιορώμενοι lib. VI, c. 93. Quae quum ita sint, de ipsius quidem verbi hujus significatione non amplius dubitari poterit; quid vero vocibus ὑπὸ Λακεδαιμονίων faciamus, dubium est; quas quoniam neque cum ἡσύχαζον neque cum περιορώμενοι conjungere licet, Dobreus ejiciendas putavit, quam violentiam recte mihi Arnoldus et Poppo improbare videntur, neque eas tamen ullo interpretandi artificio defendi posse existimo. Superest ut facilior iis medicina fiat, quam mihi repperisse videor; scribendum enim est περιορώμενοι τὰ ἀπὸ τῶν Λακεδαιμονίων. Scilicet expectabant Boeotii et Megarenses, si forte Lacedaemonii fortioribus consiliis initis tutum sibi facerent, cum ipsis se conjungere et Argivorum foedus rejicere, quorum po-

pulari imperio diffidebant; et sane expectandum erat, ut Lacedaemonii foederi illi aliquo modo occurrerent. Quare ut lib. IV, c. 71. dicitur περιιδεῖν τὸ μέλλον, ita hic περιορώμενοι τὰ ἀπὸ τῶν Λακεδαιμονίων. Nam τὰ ἀπό τινος saepe dicuntur ea, quae ab aliquo expectanda sunt, saepe etiam ea, quae praeterito jam tempore ab aliquo facta aut dicta aut aliquo modo profecta sunt, quod quidem discrimen inest in verbis illi locutioni adjunctis. Exempla ejusmodi aliorum vide nonnulla ap. Pflugk. ad Eurip. Heracl. v. 23. Thucydidis haec sunt lib. I, c. 127. νομίζοντες ἐκπεσόντος αὐτοῦ ῥᾷον σφίσι προχωρεῖν (vel προχωρήσειν) τὰ ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων. lib. VII, c. 77. τὰ ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἐλπίζειν ἠπιώτερα ἕξειν. lib. VIII, c. 51 extr. τὰ ἀπὸ τῶν πολεμίων προειδώς. Jb. c. 48. τὰ ἀπὸ τοῦ Ἀλκιβιάδου ἐσκόπουν. Jb. c. 56. οὐ γὰρ αὐτῷ πάνυ τὰ ἀπὸ Τισσαφέρνους βέβαια ἦν. lib. V, c. 37. ἀπήγγειλαν τοῖς βοιωτάρχαις τά τε ἐκ τῆς Λακεδαίμονος καὶ τὰ ἀπὸ τῶν Ἀργείων. Itaque si τὰ ἀπό pro ὑπό scribatur, et locutionem habebimus Thucydidi familiarem et sententiam efficiemus aptissimam, quae antea nulla erat, neque tamen correctio ea poterit violenta videri, quamquam neque quod τά addo, eandem habet excusationem, quam in superiore loco, et accedit etiam, quod ὑπό in ἀπό mutatur; sed hoc quidem levissimum est et frequentissimum; atque hic eo etiam facilius fuit errare, quod si τά semel omissum erat, passiva verbi περιορώμενοι forma potuit videri ὑπό potius quam ἀπό praepositionem desiderare; ipsum vero τά in vetustioribus libris mss., e quibus pleraque apud Thucydidem vitia repetenda sunt, haud raro ita scriptum vidi τ̂· quo facilius fuit unam hanc litteram omittere. Sed quae dixi de locutione τὰ ἀπό, adhibenda sunt

alii cuidam loco lib. III, c. 4. οὐ γὰρ ἐπίστευον τοῖς ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων προχωρήσειν. quae verba quum antea rectius explicarentur, Poppo nunc Duca auctore et ipse male explicavit et in eundem errorem deduxit Haackium. Putavit enim τοῖς ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων genere masculino dici, legatosque intelligi Athenas missos, quibus non confiderent Mytilenaei aliquid ab Atheniensibus processurum esse. In qua ratione primum illud falsum est, quod in Prolegg. vol. I. pag. 176. ἀπό praepositionis usum defendi posse statuit illo loco lib. III, c. 5. οἱ δ' ἐκ τῶν Ἀθηνῶν πρέσβεις ὡς οὐδὲν ἦλθον πράξαντες, ubi ἐκ praepositio cur poni potuerit, manifesta causa est, de qua dixi supra cap. V. quum de loco lib. V, c. 67 agerem. Hic vero talis causa nulla est, nec profecto quisquam in illo τοῖς ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων de masculino genere cogitabit, qui meminerit locum simillimum quem supra posui lib. I, c. 127. νομίζοντες ῥᾷον σφίσι προχωρήσειν τὰ ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων. Sed nimirum offensionem praebuit dativus τοῖς, qui si cum ἐπίστευον conjungitur, uti debet, non apte addi visus est infinitivus προχωρήσειν, ut scribendum potius fuerit ἐπίστευον, τὰ ἀπὸ τῶν Ἀ. προχωρήσειν. Poterat tamen in hac quoque re veriora docere ipsius usus Thucydidis, diligenter observatus; eodem enim modo dixit lib. IV, c. 92. πιστεύσαντες τῷ θεῷ πρὸς ἡμῶν ἔσεσθαι, quod item dici potuit: πιστεύσαντες, τὸν θεὸν πρὸς ἡμῶν ἔσεσθαι· Ceterum hic usus non hoc uno verbo continetur, sed patet latius habetque communem aliquam legem, qua praeter ceteros usus est frequenter Thucydides. Nam quum verbi alicujus notio simul et nomine aliquo et infinitivo accuratius definiri potest, ita tamen, ut rursus infinitivi notio eodem nomine definiri possit, ii

quidem, qui diligenter omnem orationem ad grammaticam normam exigunt, verbum ipsum cum infinitivo, hunc cum nomine conjungere solent. Alii vero, et maxime quidem Thucydides, saepe verbum cum nomine conjungunt, quo quidem grammatica cujusque dicti structura plena et absoluta est, sententia non item; ad quam ubi desideratur infinitivi notio, additur hic insuper quodammodo et praeter grammaticam structuram, ut sententiam ipsam plenam perfectamque reddat, qualem quidem infinitivum equidem expletivum vel epexegeticum vocaverim. Hoc igitur modo in exemplis illis verbi πιστεύειν, quum id grammatice jam satis definitum esset nominis dativo, accessit insuper infinitivus, quo declararetur, qualis illa fiducia sit et ad quem eventum pertineat, quae vel in homine vel in re ponitur. Sed totum hoc genus in praesenti pertractare nolo; interim quo ejus natura facilius perspiciatur, pauca haec sufficiunt exempla Thucydidis. Lib. I, c. 138. Themistocles dicitur apud Persarum regem in summo honore fuisse διά τε τὴν προϋπάρχουσαν ἀξίωσιν καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐλπίδα, ἣν ὑπετίθει αὐτῷ δουλώσειν. Ib. c. 50. πρὸς δὲ τοὺς ἀνθρώπους ἐτράποντο φονεύειν. Huc retulerim etiam illum locum lib. II, c. 59. πρὸς δὲ τοὺς Λακεδαιμονίους ὥρμηντο ξυγχωρεῖν, ubi minus recte Poppo videtur πρός non cum ὥρμηντο sed cum ξυγχωρεῖν conjungere, et comparandus erat locus alter, qui in eadem causa versatur lib. V, c. 29. extr. φοβούμενοι οἱ πολλοὶ ὥρμηντο πρὸς τοὺς Ἀργείους καὶ αὐτοὶ ἕκαστοι ξυμμαχίαν ποιεῖσθαι. Lib. III, c. 6. τῆς μὲν θαλάσσης εἶργον μὴ χρῆσθαι τοὺς Μυτιληναίους. Hinc apparere arbitror ib. c. 2. non recte Popponem in prolegg. I, pag. 284. statuisse de verbis his: τῶν τε γὰρ λιμένων τὴν χῶσιν καὶ τειχῶν

οἰκοδόμησιν καὶ νεῶν ποίησιν ἐπέμενον τελεσθῆναι καὶ ὅσα ἐκ τοῦ Πόντου ἔδει ἀφικέσθαι, τοξότας τε καὶ σῖτον. infinitivum ἀφικέσθαι enim bis intelligi voluit, ut semel pendeat ab ἐπέμενον, semel ab ἔδει, quo nihil opus est, siquidem alterum illum τελεσθῆναι pro epexegetico accipiamus; quamquam etiam si quis aliter de hoc infinitivo statuat, non tamen illa inaequalitas membrorum offensioni esse aut etiam aliqua ellipsi tolli debet; nam quum plerumque membra inaequalia facit Thucydides, tum in simillima re sic dixit lib. VII, c. 20 extr. καὶ ὁ μὲν Δημοσθένης ἐς τὴν Αἴγιναν πλεύσας τοῦ στρατεύματός τε εἴ τι ὑπελείπετο περιέμενε καὶ τὸν Χαρικλέα τοὺς Ἀργείους παραλαβεῖν.

Sed in omittendis vocibus quamquam casus plerumque dominatur et librariorum vel fortuita negligentia vel etiam male sedula industria, quae omnia regula nulla continentur, sunt tamen quaedam voces quae ex omnibus unae frequentissime vel omissae sunt vel additae; hae sunt praeter articulos maxime negandi et conjungendi particulae, οὐ et μή, καί et τέ. Utriusque generis nunc unum exemplum proferam.

Lib. I, cap. 69. Ἐπεὶ αἵ γε ὑμέτεραι ἐλπίδες ἤδη τινάς που καὶ ἀπαρασκεύους διὰ τὸ πιστεῦσαι ἔφθειραν. Scripsisse Thucydidem puto ἤδη τινάς που καὶ οὐκ ἀπαρασκεύους, vel quae mutatio etiam probabilior videtur ἤδη τινάς που οὐκ ἀπαρασκεύους. Nam si qui tantam posuerunt spem ac fiduciam in Lacedaemoniis, ut quum ab Atheniensibus deficerent, ipsi ad defensionem suam in se suoque apparatu nihil spei haberent imparatique rem summi periculi susciperent, magis profecto hi ipsi ob consilii temeritatem quam Lacedaemonii ob nimiam ad res gerendas tarditatem reprehensione digni sunt. Illud vero ma-

gis ad Lacedaemoniorum invidiam pertinet, quod nonnulli Atheniensium socii quum omnia fecissent, quae in defectione prudentibus viris facienda erant, et copias bello gerendo necessarias diligenter parassent, tamen a Lacedaemoniis, ad quos deficiebant, destituti sunt et Atheniensium ultioni objecti. Haec est illa inertia, quam Corinthii omnibus orationis acerbissimae aculeis pungere et in arma agere student, et quam dubium non est ab illis in majus esse potius auctam quam extenuatam et excusatam, ut probabile sit, ipsorum sociorum culpam si qua forte fuit, silentio transmissam esse; quamquam credibile non est, ut exemplo utar, imparatos fuisse ad bellum gerendum Mytilenaeos tum, quum ante bellum Peloponnesiacum ortum legatos ad Lacedaemonios de defectione sua mitterent, quippe qui etiam postea, quum non sua sponte, sed a Boeotiis excitati subito defecissent paene imparati, summo studio res suas ad libertatem tuendam instruerent. Vid. Thuc. lib. III, c. 2. et c. 13. Quibus de causis ego statuo οὐκ excidisse ante ἀπαρασκεύους, uti οὐκ et μή exciderunt aliis etiam locis veluti lib. VII, c. 29. c. 63. Ceterum illud non movere quemquam debet, quod Thuc. lib. I, c. 99. narrat subterfugisse Atheniensium socios militiam et maluisse tributa pendere, quo factum est, ut Atheniensium opes crescerent, αὐτοὶ δὲ ὁπότε ἀποσταῖεν, ἀπαράσκευοι καὶ ἄπειροι ἐς τὸν πόλεμον καθίσταντο. Corinthii enim non id dicunt quod res erat, sed de quibusdam tantum sociis agunt, in quibus egregie magna extitit Spartanorum socordia. Solebant autem, antequam socios asciscerent, eorum opes apparatumque bellicum inspectare; id Athenienses fecerunt in Egestaeis, a quibus mirifice delusi sunt; vid. lib. VI, c. 6.

et 46. idem Spartani fecerunt in Chiis; vid. lib. VIII, c. 6. quare si qui imparati aut etiam παρὰ δύναμιν deficerent, ut ait Thuc. lib. VIII, c. 2. justa ea videri debebat excusatio iis, qui tales non reciperent socios; hanc igitur excusationem Corinthii nullo modo relinquere potuerunt Lacedaemoniis.

Haud rarius καί particula per errorem omissa est, veluti lib. VI, c. 72. ubi ἄλλως τε pro ἄλλως τε καί scripsisse Thucydidem, mihi quidem non persuadetur iis, quae ab aliis et ad alios scriptores de quibusdam dubiis locis disputata Poppo breviter indicat de sua sententia more suo tacens. Sed proferam nunc alium locum, in quo vel καί vel τέ excidisse nemo adhuc vidit. Nam lib. IV, c. 32. in his: τοὺς μὲν πρώτους φύλακας, οἷς ἐπέδραμον, εὐθὺς διαφθείρουσιν ἔν τε ταῖς εὐναῖς ἔτι αναλαμβάνοντας τὰ ὅπλα, καὶ λαθόντες τὴν ἀπόβασιν. videtur mihi aut καί vel etiam ἤ post ἔτι aut τέ ante τὰ ὅπλα addendum esse, aut denique καί quod est ante λαθόντες transponendum ante ἀναλαμβάνοντας; in quo ne quis forte priori membro additum velit aliquod participium veluti ὄντας vel καθεύδοντας, comparet lib. III, c. 112. ἐπιπίπτει τοῖς Ἀμπρακιώταις ἔτι ἐν ταῖς εὐναῖς καὶ οὐ προῃσθημένοις τὰ γεγενημένα. et quos praeterea aliorum locos attulerunt interpretes. Ceterum res diversae sunt ἔτι ἐν ταῖς εὐναῖς εἶναι et ἀναλαμβάνειν τὰ ὅπλα, quum ingruentes hostes alios etiamtum per cubilia stratos et dormientes deprehendunt, alios jam quidem excitatos sed nondum armatos. Quid quod illud etiam addi possit argumenti loco, non fuisse omnino arma ἐν ταῖς εὐναῖς, siquidem recte Kruegerus monuit ad Xenoph. Anab. II, 2, 20. et ib. in ind. v. ὅπλον, Graecos solitos esse, ut nos, arma in fronte castrorum componere, ut oportuerit e cubili

excitatos inde decurrere ad arma in alio loco posita; atque in hanc sententiam Kruegerus interpretatur quum alia plura tum illud ap. Xenoph. Anab. II, 5, 34. οἱ Ἕλληνες ἔθεον ἐπὶ τὰ ὅπλα. Sed is tamen quamquam postulat ib. in praef. p. XI, ut sibi in rebus militaribus aliquanto plus quam aliis tribuatur, erravit haud dubie quum alibi, velut ad Anab. IV, 2, 11. de lochis orthiis, tum in hac quoque re. Quis enim credat non sua quemque arma secum habuisse in tentoriis, ut in re subita statim armari possent? Atque id de Spartanis quidem, de quibus hic agitur, etiam minus credi potest, quos scimus ne ventrem quidem exonerasse sine hasta; vid. Xenoph. Rep. Lacedd. c. 12, 4. Clypeum illi quidem non semper gestabant, id quod docet Critiae locus illic a me prolatus; sed tamen et clypeum in suo quisque tentorio habuit; vid. Polyaen. strategg. II, 1, 15. et omnino τὰ ὅπλα; id docet auctor gravissimus Aeneas de obsid. tol. c. 27. ubi narrat Euphratam harmosten Spartanum, quum exercitus saepe nocturnis terroribus turbaretur, edixisse, εἰς νύκτα ὅταν τις θόρυβος γίνηται, ἀνακαθίζειν αὐτοὺς εὐθὺς πρὸς τὰ ὅπλα ἐν τῇ εὐνῇ, ἀνίστασθαι δὲ μηδένα ὀρθόν. Neque alium morem Atheniensium fuisse intelligitur ex Iphicratis strategemate, quod narrat Polyaen. lib. III, c. 9, 19. Ceterum haec non cadunt in exercitum iter facientem, quum alicubi consistit, τίθεται τὰ ὅπλα, neque tamen castra communit aut tentoria figit; alia rursus ratio est urbanae militiae, de qua vid. intptt. ad Thucyd. lib. VIII, c. 69. Ceterum cf. Sallust. Jug. c. 21, 2. semisomnos partim, alios arma sumentis fugant funduntque. Similia nonnulla aliam ob causam collegit Drakenb. ad Liv. XXV, 39, 3.

Nunc a vocabulis omissis venio ad ea, quae omittenda sunt; quae quidem ab librariis per imprudentiam plerumque adduntur, quum praecedentem sequentemve syllabam bis scribunt; taceo enim de iis, quae de industria addiderunt aut quae scholia in margine vel supra lineas posita inter ipsa scriptoris verba rettulerunt, quod genus apud Thucydidem quidem, qui medio aevo non magnopere ab imperitis lectitaretur, haud videtur frequens esse. Ex illo autem genere puto hoc esse, quod lib I, cap. 2. ἐς additur post μετοικίας in his: καὶ παράδειγμα τόδε τοῦ λόγου οὐκ ἐλάχιστόν ἐστι διὰ τὰς μετοικίας ἐς τὰ ἄλλα μὴ ὁμοίως αὐξηθῆναι. De quo loco multae ac variae sunt virorum doctorum disputationes, quas nunc eo minus placet excutere, quod video non me primum de importuno illo ἐς ejiciendo cogitasse, sed jam ante me Hier. Muellerum. Addam vero aliud ejusdem generis exemplum, quod ut speciem habet etiam majorem, ita necessitatem fortasse aliquanto minorem. Lib. III, c. 38. Cleo indignatus, quod non statim atrocissimam poenam darent Mytilenaei, sed nova de ea re contione habita temporis mora intercederet et justa scilicet populi ira languesceret, sic ait: ὁ γὰρ παθὼν τῷ δράσαντι ἀμβλυτέρᾳ τῇ ὀργῇ ἐπεξέρχεται· ἀμύνασθαι δὲ τῷ παθεῖν ὅτι ἐγγυτάτω κείμενον ἀντίπαλον ὂν μάλιστα τὴν τιμωρίαν ἀναλαμβάνει. In his ego participium ὂν delendum censeo, quippe ortum ex praecedente syllaba, ut ἀντίπαλον genere feminino positum ad τιμωρίαν referatur. Hoc enim agit Cleo, ut poenam justam et crimini commisso parem esse demonstret; quamobrem consentaneum est ipsam poenam potius parem appellare quam colligendum hoc audientibus relinquere, parem esse propterea, quod τὸ ἀμύνα-

σθαι τῷ παθεῖν ἀντίπαλόν ἐστιν, et hoc rursus propterea, quod τῷ παθεῖν ὅτι ἐγγυτάτω κεῖται. Nam illud quoque apud Thucydidem quidem aliquam offensionem habet, quod duo participia ita pari fere dignitate juncta sunt; nam si ἀντίπαλον ὄν velis de more Thucydidis arctius conjungere cum verbo ἀναλαμβάνει, illud obstat, quod in participio idem ille dativus intelligi debet, cui praecedens participium conjunctum est, quo fit, ut quod ob dativum intellectum ad praecedentia referimus, idem ob usum Thucydidis ad sequentia referendum sit. Quam difficultatem deleto ὄν effugimus et simul aptam efficimus membrorum structuram, ut ἀμύνασθαι suum habeat attributum itemque τιμωρία suum ex illo consectarium.

Index capitum.

Index rerum et verborum.

A.

B.

D.

E.

η.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

S.

T.

V.

Y.

Index scriptorum, quorum loci vel explicantur vel emendantur.

Addenda et corrigenda.

Pag. 1. lin. 3. pro καϑίσησι leg. καϑίστησι.

Pag. 3. lin. 10 Adde: cf. lib. VIII, c. 78 extr. οὔκουν ἔφασαν χρῆναι μέλλειν ἔτι, ἀλλὰ διαναυμαχεῖν. quibus verbis, quoniam de eadem re agitur, satis declaratur celeritatis notionem vix omitti potuisse. — Deinde ad lin. 13. adde Eurip. Phoen. 899. εἰ μή τις πείσεται.

Pag. 57, lin. 2. dele interpunctionem post hunc; ib. lin. 7. scrib. proficisci. pro proficisc. et lin. 14. est. pro esti.

Pag. 65. lin. 2 et 3. Ἐπὶ σχολῆς dixit etiam Plut. Caes. c. 2. et ἐφ' ἡσυχίας idem Themist. c. 16. Ac de eo quod sequitur ἐφ' ἡλικίας conferri debet Aristoph. Equit. 524. ἐπὶ γήρως, οὐ γὰρ ἐφ' ἥβης.

Pag. 69. lin. 15. pro quodamodo leg. quodammodo.

Pag. 91. lin. 11. ab ult. scrib. ἐνϑυμεῖσϑε pro ἐνϑυμεῖςϑε.

Pag. 94. lin 20. sq. scrib. βούλεσϑαι - quispiam pro βουλεϑαι - quis piam.

Pag. 97. In emendando Gorgiae loco multo magis de audaciae crimine sollicitus eram, quam sperabam de codicum auxilio; nam quod tribus simul modis vocem ἀόρτιτοι mutassem, ut restitueretur εὐόργητοι, quamvis tres illas mutationes satis demonstrassem per se singulas frequentissimas esse, vocemque ipsam a me restitutam sententiae praeclare convenire intelligerem, tamen timebam ne nimis violenta videretur illa cautioribus ingeniis medicina; quod autem Walzii rhetorum editio ad manus non erat, paene non dolebam, quia in tam gravi corruptela communis solet esse codicum mss. error; inspecturus tamen eram editionem illam, nisi id in summa occupatione oblitus essem. Nunc vero mirifice mihi displiceo, quod tam parum fiduciae in codd. mss. posui; video enim ipsum illud εὐόργητοι ex iis jam restitutum esse a Walzio in rhetorum vol. V. pag. 550. neque tamen poenitet conjecturae, quae etsi superflua fuit, potest tamen documento esse, ne nimis facile conjectandi audacia accusetur.

Pag. 104. lin. 8. Eodem modo ἐπέχειν dictum sed sine casu ap. Eurip. Bacch. 1129. Αὐτονόη τ' ὄχλος τε πᾶς ἐπεῖχε Βακχῶν. Ibi Elmslejus ait congesta esse exempla multa a Musgravio.

This book should be returned
the Library on or before the last
stamped below.

A fine of five cents a day is in
by retaining it beyond the spec
time.

Please return promptly.

Gt 55.495.5
Fr. Haasii ... Lucubrationes Thucyd
Widener Library 005135393
3 2044 085 174 134